De codicis Dioscuridei Aniciae Iulianae, nunc Vindobonensis Med. Gr. I

HISTORIA, FORMA, SCRIPTURA, PICTURIS

moderante IOSEPHO DE KARABACEK,
Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Praefecto

SCRIPSERUNT

ANTONIUS DE PREMERSTEIN, CAROLUS WESSELY,
IOSEPHUS MANTUANI.

Accedunt tabulae tres lithographicae et figurae sex textui insertae

LUGDUNI BATAVORUM
A. W. SIJTHOFF
1906

PRAEMONITUM.

Commentationes, quas legentibus hic exhibemus de codice Dioscurideo saeculo VI ineunte in usum Aniciae Iulianae confecto, nunc Vindobonae in bibliotheca Palatina adservato, minore modulo seorsum expressae sunt ex maioris formae amplior̄isque molis opere, in quo praefationis loco praecedunt.

Susceperunt enim SCATO DE VRIES vir doctissimus et A. W. SIJTHOFF bibliopola egregius, Batavi ambo Lugdunenses, IOSEPHI DE KARABACEK viri summi, qui bibliothecae Palatinae Vindobonensi praeest, consilio et auctoritate strenue adiuti, operam laudibus sane dignam atque sine dubio utilissimam, ut codicem illum elegantissimis herbarum et animalium picturis illustratum arte photographica integrum depingendum curarent. Quo ex simulacro accuratissimo libri pretiosi non solum rei criticae et arti palaeographicae, verum etiam historiae rerum naturalium, imprimis rei herbariae, et notitiae picturae veterum quam plurimum utilitatis adlatum iri consentaneum est. Prodiit igitur his ipsis diebus codicis celeberrimi editio inter cetera eiusdem generis ectypa ab A. W. SIJTHOFFIO in lucem emissa, quorum seriei inscribitur:

Codices Graeci et Latini photographice depicti duce SCATONE DE VRIES, *Bibliothecae Universitatis Leidensis Praefecto*;

comprehenditur vero volumine X, cui titulus est:

Dioscurides. Codex Aniciae Iulianae picturis illustratus nunc Vindobonensis Med. Gr. I phototypice editus. Moderante IOSEPHO DE KARABACEK, *Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Praefecto, praefati sunt* ANTONIUS DE PREMERSTEIN, CAROLUS WESSELY, IOSEPHUS MANTUANI. *Accedit tabula lithographica. (Lugduni Batavorum, A. W. Sijthoff,* 1906).

Hoc volumen dividitur in partes duas, quarum altera continentur praefatio et codicis folia 1—203, altera folia 204—491.

Iam vero ut praefatio codicis ectypo praefixa, in quam plurimum studii et laboris contulimus, magis etiam, quam per editionem illam sumptuosam fieri potest, inter viros doctos divolgaretur, utque codicis ad hunc diem clarioris quam notioris latius diffunderetur cognitio, editor et bibliopola, viri humanissimi, nobis hortantibus haud mediocrem industriam in eo posuerunt, ut commentationes nostrae hac etiam peculiari editione minore modulo confecta eaque habiliore harum rerum studiosis proponerentur. Quam quidem curam non prorsus inutilem fore nobis fortasse sperare licet.

Dabamus Vindobonae mense Januario a. 1906.

De Codicis Dioscuridei Aniciae Iulianae,

nunc Vindobonensis Med. Gr. I

Historia, Forma, Argumento

SCRIPSIT

ANTONIUS DE PREMERSTEIN.

PROOEMIUM.

In huius praefationis exordio liceat mihi eis, qui operae meae benevolo faverunt animo, debitas referre gratias. Atque primum quidem summis beneficiis me obstrinxerunt Leopoldus liber baro de Gudenus, vir excellentissimus Sacro Caesaris et Regis Apostolici Cubiculo praepositus, qui, dum hanc commentationem conficerem, ut a reliquis bibliothecae Palatinae muneribus vacarem, benignissime concessit, et Iosephus eques de Karabacek, bibliothecae Palatinae Vindobonensis praefectus, huius operis particeps, qui non solum vacationem illam mihi impetravit, sed etiam consiliis liberaliter impertitis, quaestionibus diligenter institutis, omni denique adiumenti genere in hoc suscepto me sublevavit. Scatoni vero de Vries viro doctissimo, huius operis editori et A. W. Sijthoffio bibliopolae egregio, quorum singulari liberalitate atque solertia codex Dioscurideus Aniciae Iulianae patriciae solis radiis depictus mirumque in modum multiplicatus viris eruditis utendus praebetur, quantum subsidii atque ornamenti haec quoque debeant, ipso opusculo meo, qualecumque est, inspecto facilius cognoscetur, quam verbis exprimitur. Grato autem animo ut profitear superest, ab Iosepho Constantino Ireček et Iosepho Strzygowski professoribus illo Vindobonensi, hoc Graeciensi, item a Ludovico Pastore v. c., qui Romae instituto historico Austriaco praepositus est, et

Henrico Pogatscher viro erudito, qui Pastoris iussu codicem bibliothecae Chigianae mei causa diligentissime examinavit, deinde a Carolo Wessely, Rudolpho Beer, Iosepho Mantuani bibliothecae Palatinae sociis, Georgio Musset, qui bibliothecae Rupellensi praeest, Matthaeo Bartoli Argentoratensi, Carolo de Ettmayer collega Vindobonensi multifariam consiliis officiisque me adiutum esse.

Gratitudinis hoc officio functus ut ipsi rei satis arduae, quam non sine quadam animi trepidatione adgressum me esse fateor, paucis proludam, necesse est. Atque ante omnia legentes monuisse velim negotium, quod susceperam, ita fere fuisse circumscriptum, ut ex vastissima quaestionum mole, quae in hoc codice Dioscurideo exoritur, excepta re palaeographica sane gravissima, quam Carolus Wessely separata disquisitione explicabit, ea fere tractarem argumenta, quae a philologo et historico absolvi poterant, omnia vero, quae profundiorem naturalis historiae, imprimis rei herbariae notitiam postulare videbantur, harum rerum peritis disceptanda relinquerem, eo scilicet contentus, si viris botanicae et medicinae veterum consultis aditum quodammodo ad codicem nostrum patefecisse vel faciliorem reddidisse viderer. Quos fines me quam religiosissime servasse confido. Universam autem hanc commentationem in quinque partes dividere visum est, quarum p r i m a codicis historia formaque externa tractentur, s e c u n d a herbarium illud praeclarum Dioscurideum, quod maximum in codice spatium obtinet, t e r t i a opuscula ad rem naturalem pertinentia, quae herbario adnexa sunt. Q u a r t a deinde parte agetur de libris manu scriptis ex celeberrimo hoc exemplari derivatis, atque q u i n t a exhibebitur codicis conspectus, in quo pristinum libri valde mutili contextum restituturi sumus.

Sed antequam ipsam rem adgrediamur, hoc iam loco brevem eorum, quae in hac commentatione gravissima sunt,

conspectum proponere placuit. Iam vero praecipuum locum inter bibliothecae Palatinae Vindobonensis thesauros codicem hunc Dioscuridis obtinere vulgo notum est; quanti vero momenti hic liber pretiosissimus sit non solum ad historiam medicinae et rei herbariae, quales inde ab antiquitate usque ad recentioris aevi primordia fuerint, illustrandam, sed etiam ad varias veterum linguas cultumque humanum atque artem pictoriam et rem palaeographicam melius cognoscenda, ab aliis et copiose et diserte expositum est [1]), ita ut equidem supersedere possim et ipsum codicem et eos, qui hac codicis imagine solis radiis depicta de philologia et veterum historia naturali tam bene meriti sunt, verbosis laudibus celebrare.

Est autem codex hic, qui inter libros Dioscuridis manu scriptos Constantinopolitani (C) vocabulo designatur, saeculo VI ineunte (circa annum 512) in usum Aniciae Iulianae patriciae Constantinopoli confectus. Ibidem medii aevi temporibus penes homines ex occidente profectos, qui illam urbem saeculo XIII expugnaverant, deinde in monasterio S. Ioannis Prodromi sive Praecursoris, ex cuius monachis quidam a. 1406 eum instaurandum curavit, posthac in Turcarum et cuiusdam Hebraei manibus versabatur, donec a. 1569 auctore Augerio de Busbecke in bibliothecam Caesaream Vindobonensem translatus est. In qua inter codices medicos graecos locum primum (olim 5) obtinet. Altus est centim. 38, latus centim. 33, ita ut formam fere quadratam exhibeat, opertus tegumento a. 1406 confecto, quod duabus tabulis validis et corio fusco constat, habetque hodie folia 491, quae multis in locis detrita et lacera magna ex parte a. 1406 resarta sunt. Inter quae sunt folia membranacea vetusta 481, folium membranaceum vacuum 1 (205) a. 1406 insertum, folia membranacea sex (486—491) saeculo X vel XI scripta, folia chartacea minoris formae tria (287—289) saeculo fere XIV

---

[1]) Cf. v. c. ea, quae M. Wellmannus de Dioscuridis materia medica et hoc codice exposuit *Verhandlungen der 44. Versammlung deutscher Philologen* (Lipsiae 1897) p. 55 ss.; Pauly et Wissowae encycl. V p. 1131—1142.

addita. His accedunt folium unum chartaceum (407*) saeculo ut videtur XVII adiectum et duo folia membranacea vacua non numerata, quae recentiore tempore inter tegumenti partes anteriorem posterioremque ipsasque codicis membranas inserta sunt. Ex vetustis vero membranis, quarum 481 superesse diximus, tot saeculorum vicissitudinibus permultae — sunt circiter 65 — intercidere; quarum lacunarum et sedes et argumenta etiam nunc certa ratione definire licet. Atque in his membranis, quibus artificiose plicatis compages sive fasciculi, quaterniones plerumque, efficiuntur numeris a. 1406 adscriptis, ex parte etiam antiquis saeculi VI notis residuis instructi, textus litteris totus uncialibus saeculi VI ineuntis, quae in versibus curiose derectis positae sunt, scriptus et splendidissimae imagines pictae sunt coloribus mirifice servatis nitentes. Accesserunt autem textui vetusto praesertim in herbario Dioscurideo inde a saeculo XIII diversorum adnotationes, latinis, graecis, arabicis, hebraicis elementis scriptae, quibus plerumque titulorum textusve graecorum transscriptiones vel herbarum synonyma graeca volgaria, latina, arabica, turcica, semel (f. 327^{v}) et vocabulum francogallicum continentur.

Comprehenduntur autem codice Aniciae Iulianae hae commentationes picturaeve ad historiam potissimum naturalem spectantes, quas per totam fere mediam aetatem saepissime ex hoc exemplari descriptas sive depictas esse constat:

F. 1^{v} imago pavonis ex ornithiacorum paraphrasi huc translata.

F. 2—6 versis imagines quinque, quarum duae priores medicorum et botanicorum septenorum consessus repraesentant, duae sequentes mandragorae inventionem et descriptionem, ultima Aniciam Iulianam patriciam, quae codicem sibi oblatum accipit.

F. 4—7 rectis index herbarii Dioscuridei circa a. 1406 litteris minusculis scriptus.

F. 7^{v} titulus herbarii ornatus.

F. 8^{r}—10^{v} index herbarii vetustus.

F. 10^{v}—11^{r} repetitur herbarii inscriptio.

F. 11^{v}—12^{r} vacant.

F. 12^{v}—387^{r} herbarium Dioscurideum alphabetico ordine digestum, ex herbarum figuris, in quibus antiquioris cuiusdam syllogae corpus Crateuae et Galeni excerptis instructum et supplementa postea adiecta optime dignoscuntur, et textus capitibus ex Dioscuride plerumque depromptis concinnatum; cui f. 287—289 insertus est tractatus de mandragora saeculo fere XIV ex Dioscuridis materia medica descriptus.

F. 387^{v} vacat.

F. 388^{r}—392^{r} incerti auctoris carmen de viribus herbarum, cui f. 391^{v} inest pictura ἐναλίας δρυὸς sive coralli.

F. 392^{v} vacat.

F. 393^{r}—437^{v} Eutecnii sophistae paraphrasis in Nicandri theriaca figuris herbarum et animalium venenatorum illustrata.

F. 438^{r} vacat.

F. 438^{v}—459^{v} Eutecnii sophistae paraphrasis in Nicandri alexipharmaca.

F. 460^{r}—473^{r} incerti auctoris, fortasse eiusdem Eutecnii, paraphrasis in Oppiani halieutica.

F. 473^{v} textum vetustum non habet.

F. 474^{r}—485^{v} incerti auctoris paraphrasis in Dionysii poetae ornithiaca, avium picturis, quibus adiungendus est pavo f. 1^{v} repraesentatus, ornata.

F. 486^{r}—491^{v} anno 1406 adnexis continentur fragmenta quaedam menologii mensis Ianuarii saeculo X vel XI scripti.

Varias virorum doctorum omnis aevi de hoc codice lucubrationes et commentationes infra suis locis, quam plenissime fieri poterit, adferentur. In re praesenti sufficiet monuisse totum libri contextum ad hoc tempus a solo Petro Lambecio[1]) aliquanto accuratius et copiosius descriptum esse, a cuius commentariis, quorum A. F. Kollarius saeculo fere post

---

[1]) Commentariorum de Augustissima bibliotheca Caesarea Vindobonensi II (1669) p. 519—608; VI p. 294—302.

alteram editionem instituit [1]) novis observationibus auctam, et Daniel de Nessel [2]) et Bernardus de Montfaucon [3]) multique alii usque ad nostram aetatem viri docti [4]) pendent.

---

[1]) Cf. Comment. ed. alterius (studio A. F. Kollarii) II (1769) p. 119–285 (cuius capitis epitome extat p. 471–473); VI (1780) p. 202–209; p. 437–452.

[2]) Catalogi manuscriptorum graecorum nec non orientalium Aug. bibliothecae Caesareae Vindobonensis III (1690) p. 1–14.

[3]) Palaeographiae graecae (1708) lib. III p. 195–211; Bibliothecae bibliothecarum I (1739) p. 536 s.

[4]) Cf. Iac. Frid. Reimmannus in epitome Lambecii et Nesselii, cui inscribitur Bibliotheca acroamatica... comprehendens recensionem specialem omnium codicum msctorum graecorum... augustissimae bibl. Caesareae Vindobonensis (Hannoverae 1712. 8°) p. 146–159; p. 465 s.; praeterea H. Conringius In universam artem medicam... introduction. (Helmestadii 1687. 4°) p. 274–276 (edit. anni 1726 p. 274–276); Ios. Pitton Tournefort Institutionum rei herbariae ed. tert. I (1719) p. 7 s.; Christ. Gottl. Schwarz De ornamentis librorum et varia rei librariae veterum suppellectili (Lipsiae 1756. 8°) p. 31. 38. 163. 167. 169; I. C. G. Ackermann in Fabricii Bibliotheca gr. ed. Harles. IV (1795) p. 683 s.; I. F. de Mosel *Geschichte der k. k. Hofbibliothek zu Wien* (1835) p. 320 s.; L. Choulant in Naumanni et Weigelii ephemeride *Archiv für die zeichnenden Künste* I (1855) p. 56 ss.; G. F. Waagen *Die vornehmsten Kunstdenkmäler in Wien* II (1867) p. 8 ss.; F. Cohn *Jahres-Bericht der Schlesischen Gesellschaft für vaterländische Cultur* LIX (1881) p. 302 ss.; I. H. Middleton *Illuminated manuscripts in classical and mediaeval times* (1892) p. 48 ss.; Guil. Wattenbach *Das Schriftwesen im Mittelalter* ed. tert. (1896) p. 351 s.; idem *Anleitung zur griech. Palaeographie* ed. tert. p. 34; E. Diez *Die Miniaturen des Wiener Dioskurides* (1903), qui libellus seorsum impressus est ex commentationibus a Strzygowskio editis *Byzantinische Denkmäler* III, p. 1–61. Accedit libellus Th. Gottliebii sumptibus bibliothecae Palatinae editus *K. k. Hofbibliothek. Katalog der Miniaturen-Ausstellung* edit. quart. (Vindobonae 1902. 8°) p. 1 s. n. 2. Vide praeterea eos scriptores, qui de codicis re palaeographica disseruerunt, quos infra capite VII composui.

PARS PRIMA.

DE CODICIS HISTORIA ET FORMA

CAPUT I. DE TEMPORE, QUO CODEX CONFECTUS SIT.

Aetatis, qua codex Dioscuridis Vindobonensis pictus et scriptus sit, indicia satis luculenta re palaeographica praebentur: scripturam enim uncialem huius libri ad saeculi quinti finem vel initium saeculi sexti pertinere infra a Carolo Wessely uberius demonstrabitur [1]. Exactius vero tempus definiri potest ex imagine f. 6v depicta, qua nobilis quaedam matrona allegoricis, quas dicunt, figuris stipata codicem herbarii sibi oblatum excipiens repraesentatur. Qua de pictura post Lambecii aliorumque curas [2] opera data disserui in annalibus

---

[1]) Cf. etiam V. Gardthausen *Griech. Palaeographie* p. 151 s. De hoc codicis confecti tempore unus, quod sciam, Kollarius sine idonea causa dubitavit Lambecii Comment. ed. alt. I p. 80 adn. A; VI p. 206 adn. B.

[2]) Cf. Lambecius Comment. ed. prior. II (1669) p. 571 – 590 (cum tabula p. 571 adiuncta); D. de Nessel Catalog. III (1690) p. 8 s. (cum tab. H littera signata); B. de Montfaucon Palaeogr. gr. p. 203 – 209 (cf. p. 39 s.; cum tab. p. 203 adiecta); C. G. Schwarz De ornamentis librorum (Lipsiae 1756) p. 167; Lambecius Comment. ed. alt. (opera A. F. Kollarii) II (1769) p 219—253 cum tab. p. 220; I. Labarte *Histoire des arts industriels, Album* ed. alt. II p. 163. 466 cum tab. XLIII; G. F. Waagen *Die vornehmsten Kunstdenkmäler in Wien* II (1867) p. 8 – 10; C. Schnaase *Geschichte der bildenden Künste* ed. alt. III p. 237 s.; O. Iahn *Abhandl. der sächs. Gesellschaft der Wiss., phil. hist. Cl.* V p. 301 ss.; N. Kondakoff *Histoire de l'art byzantin* I (1886) p. 110 n. 5 cum imagine inter p. 108/9 inserta; Watten-

musei Caesarei Vindobonensis a. 1903 in volgus emissis [1]); ad quam commentationem eos, qui accuratiora requirunt, relegare liceat.

Imaginis interpretationi praemittenda videtur brevis descriptio. Pictura igitur folii 6ᵛ speciem praebet disci in media pagina collocati, qui undique fune aurato cingitur. Cui quidem circulo inscripta sunt quadrata duo invicem sese intersecantia, similibus funibus aureis artificiose contextis formata. Qua ratione efficitur octogonum magnum, in medio positum (I), undique circumdatum quadratorum illorum segmentis octo, quae triangularem exhibent formam, (II) nec non circuli segmentis octo, quae cum illis alternantur (III). Picturae fundamentum caeruleum est, si quadratorum segmenta excipimus, quae sunt coloris rubri.

Atque in medio octogono in gradu sive suggestu aurato collocatus est thronus, aureus totus, singulis utraque parte aquilis suffultus, pulvino rubro superiniecto instructus. Ante suggestum posita sunt vasa duo, quae cylindrorum speciem prae se ferunt, aerea ansisque auratis praedita. In ipso autem throno sedet matrona magnifice ornata, vestita tunica, quam strictoriam vocabant, et dalmatica, manicatis colorisque purpurei, id est violacei ambabus, quibus vestimentis superindutum est περίβλημα splendidissimum, palla videlicet aurata clavisque

---

bach *Anleitung zur griech. Palaeographie* ed. tert. p. 34; A. Venturi *Storia dell'arte italiana* I p. 340 s. (accedit imago p. 141 n. 130); Woltmann *Geschichte der Malerei* I p. 184 s.; R. Beer *Kunst und Kunsthandwerk* V (1902) p 239 s. (accedit figura p. 236); E. Diez *Die Miniaturen des Wiener Dioskurides, Byzantinische Denkmäler* ed. ab I. Strzygowski III (1903) p. 24—27 cum tab. IV n. 1. Reliquos scriptores et vetustiores et recentiores, qui imaginem hanc sive effinxerunt sive commentariis tractaverunt, invenies in dissertatione mea, cuius titulum paulo infra (adn. 1) adnotavi, p. 105 s. adn. 1.

[1]) *Anicia Iuliana im Wiener Dioskorides-Kodex, Jahrbuch der kunsthistorischen Sammlungen des allerhöchsten Kaiserhauses* XXIV (1903) p. 105—124. Textui adiecta est tabula XXI, qua pictura, de qua agimus, fideliter redditur ipsis coloribus splendidis accurate expressis. Dissertationis huius censuram egerunt I. Iuethner *Zeitschrift für die österreich. Gymnasien* LV (1904) p. 314 s.; Guil. Weinberger *Berliner philologische Wochenschrift* 1904 p. 1171 s.

violaceis variata, contabulatione quam dicebant artificiosa in eam formam redacta, quae in aula Byzantina sub *lori* sive λώρου nomine a summae nobilitatis matronis usurpabatur. In capite matronae crinibus nigris, in quibus media fronte fibula aurea resplendet, superimposita cernitur mitra coloris coccinei margaritis distincta, in aureum ut videtur apicem desinens, ex qua utrimque vittae singulae in tergum dependent; aures ornatae sunt inauribus, quae ex singulis magnitudinis eximiae margaritis, quas uniones appellabant, constant. Pedes calceis rubris induti sunt. Atque manu sinistra matrona librum sive codicillos tenet, in quorum tegumento aureo rhomboides alba, sine dubio eburnea, discernitur. Dextra vero demonstrat codicem apertum, quem a puero alato ei porrigi statim memorabimus. Matronae autem huic nomen esse *IOΥΛΙΑΝΑ* ex litteris aureis permagnis, quae quadratorum segmentis octo inscriptae sunt, colligitur.

Iulianae a tergo singulae utrimque feminae conspiciuntur, quibus artifex per allegoriam illa aetate haud raro obviam virtutes illius praecipuas significare voluit. A sinistra adstat femina diademate aureo compta, velata tunica alba, in cuius humero cernitur clavus auratus, et chlamyde viridi, cuius sinum nummis aureis repletum manibus sustentat; ab utraque capitis parte legitur inscriptio in fundamento picturae caeruleo litteris albis exarata: *ΜΕΓΑΛ*[Ο—*Ψ*Υ]*ΧΙΑ*. Iulianae ad dextram exhibetur femina diademate simili ornata, vestita tunica alba clavis aureis distincta et chlamyde rubra, dextrorsum conversa, pedem sinistrum βήματι sive gradui imponens; sinistra codicem sustinet tegumento rubro involutum atque in genu sinistro repositum, quem porrecto manus dextrae indice monstrat. Utrimque titulus adest litteris albis pictus: *ΦΡΟΝ*[*Η*]-*CIC*.

Suggestui, de quo supra diximus, ad sinistram iacet genibus flexis figura puellae parvula albo amictu induta, tam profunde caput inclinans, ut eius os pedem dextrum matronae in throno sedentis prope contingat; quo habitu adorationis caerimoniam a Romanis posterioris aevi usu receptam indicari perspicuum est. Super puella duobus versibus scriptum est

[ΕΥ]ΧΑΡΙCΤΙΑ | ΤΕΧΝΩΝ. Inter hanc figuram albatam illamque, quae Μεγαλοψυχίας nomine designatur, puer stat nudus alatus, dextrorsum conversus, Iulianae sedenti codicem offerens apertum, in cuius altera pagina schema quoddam herbae foliis viridibus et floribus uvisve luteis praeditum pictum est. Supra Cupidinis huius sive Amoris caput haec inscriptio habetur: ΠΟΘΟC [Τ]ΗC | ΦΙΛΟΚΤΙCΤΟΥ (sic).


Iam procedamus ad ea spatia, quibus octogonum undique circumdatur, breviter describenda. Atque octo quadratorum segmentis rubris singulas litteras, quae nomen efficiunt ΙΟΥΛΙΑΝΑ, aureas praegrandes inscriptas esse supra indicavimus. In spatiis vero octo caeruleis, quibus segmenta illa triangularia inter se invicem segregantur, agnoscuntur imagines quaedam minutae elegantissimae, sed vetustate admodum corruptae; quibus puerulorum nudorum alatorum caterva inducitur, qui opificum et artificum more aedificio quodam et exstruendo et sculpturae picturaeque operibus exornando occupati videntur. In singulis quidem picturis recensendis initium facere libet ab illa, quae inter *I* et *O* litteras collocata est. Atque prima hac imagine exhibentur 1) Cupidines tres, qui fronti aedificii coloribus pingendae operam dant; deinde ea quae sequitur 2) pueruli duo materiam serra secantes; 3) tertii spatii figura vetustate prorsus evanuit; 4) quarta pictura effinguntur Amores quattuor, qui machinam commovendis et levandis magnae molis lapidibus aptam agitant, 5) quinta pueri tres alati lapidibus caedendis occupati; 6) sexta pueri duo, qui trabes ligneas edolant; 7) septima repraesentatur Cupido stans ante effigiem sculptam et coloribus distinctam, quae in aedicula posita est; 8) octava Amores duo, quorum alter imaginem pingit, alter pigmenta miscet.

Reliquos titulos huic imagini adiectos cum supra suis locis enarraverimus [1]), iam superest, ut de inscriptione qua-

---

[1]) Is qui anno fere 1406 magnam codicis partem litteris minusculis transscripsit, etiam has inscriptiones repetere conatus est. Qui supra picturam haec addidit: μεγαλοψυχία. σοφία. † (quae appellatio ad matronam sedentem

dam, quam vel maxime ad rem propositam facere statim apparebit, paulo uberius disputemus. Quae quidem inscriptio litteris albis, sicuti reliquae, exarata est in taeniis octo angustis nigro colore inductis, quae octogoni illius circuitum interiorem comitantur. Cum viri docti, qui ante nos Iulianae imaginem tractarunt, scripturam hanc multis locis prorsus evanidam legere supersedissent, mihi tandem multum satisque diu in ea re elaboranti a. 1902 contigit, ut omnibus litterularum reliquiis etiam atque etiam vitri auxilio quam accuratissime examinatis satis certam lectionem adsequerer. Ac primum quidem intellexeram in octo lateribus octogoni singulos versus exaratos esse, quorum primae litterae litteris singularibus respondent, quae in triangulis proximis collocatae sunt *ΙΟΥΛΙΑΝΑ.* Acrostichon ergo habemus in Iulianae nomen concinnatum, cuius reliquias a nobis transscripta et suppleta hoc loco adponere liceat:



\+ *Ιου· δόξαισι σ'[ἄνασσα?]*
['Ον]ωρᾶτ[αι] ἀ[γα]θ[αῖ]ς π[ά]σ[αις]
Υμνοῦσιν κ(αὶ) δο[ξάζουσιν].
Λαλῖσαι (= λαλῆσαι) γὰρ εἰς πᾶσα[ν] γῆν
[Ἴ]ησ' ἡ μεγαλοψυχία
Ἀνικήω[ν], ὧν γένο[ς] πέλεις·
Ναὸν [γὰρ] κ[υρ]ίου ἤγιρας (= ἤγειρας)
Ἄνω [προεκβ]άντα καὶ καλῶς.

V. 2 ante *Α[ΓΑ]Θ[ΑΙ]C* cernitur lineola illa curva, qua in contextu codicis vocabula inter se disiungi solere Carolus Wessely infra demonstrabit. — V. 6 certissime legitur *ΑΝΙΚΗΩΡΩΝ*, quod sine dubio in *Ἀνικήω[ν], ὧν* corrigendum

---

referenda est; cf. autem f. 4v. 5v). *φρόνησις*; in margine laeva: *πόθος τῆς σοφίας*. Praeterea in ipso picturae fundamento figurarum capitibus ab eodem adscriptum est *μεχαλοψυχία* et *φρόνησις*.

est. Nam de latina genetivi forma *Aniciorum* graecis litteris Ἀνικηώρων reddita vix cogitari poterit.

Acrostichon hoc iambicum satis illepidum et barbara artis metricae inscitia ita compositum, ut locis nonnullis syllabae breves, sed accentu praeditae pro longis positae sint, ad aetatem codicis Dioscuridei exactius definiendam summi est momenti. Etenim Petrum Lambecium secuti omnes fere, quod sciam, viri docti, qui picturae huic explanandae operam dederunt, per matronam splendide ornatam et in solio sedentem, cui nomen Ἰουλιάνα adscriptum est, Aniciam Iulianam significari sibi persuaserunt, matronam nobilissimam et opulentissimam, quae sub finem saeculi quinti et ineunte saeculo sexto p. Chr. n. Constantinopoli maxima et dignitate et auctoritate fruebatur [1]). Nata est Iuliana anno fere 463 patre Flavio Anicio Olybrio consule anni 464, qui anno 472 per aliquot menses Occidentis Augustus fuit, matre Placidia Valentiniani III filia. Imperatorio igitur sanguine orta nupsit anno fere 480 Flavio Areobindo Dagalaifo magistro militum, consuli a. 506, cui progenuit Flavium Anicium Olybrium iuniorem, qui puer admodum a. 491 in Oriente consul processit. Vitam perduxit Anicia Iuliana, quae eximio fidei catholicae orthodoxae studio et plurimis aedibus sacris sumptuose aedificatis maxime inclaruit, usque ad Iustiniani regnum, quo imperante anno 527 vel 528 senex mortua esse videtur.

Iam opinionis, quam Lambecius coniectura sat probabili protulit, eandem esse Aniciam illam Iulianam atque Iulianam in codice Dioscurideo repraesentatam, certissimum

---

[1]) Quae de Iulianae vita nobis cognita sunt, congessi commentationis supra citatae p. 108 s. Ad testimonium ibi p. 109 adn. 6 et 9 adlatum de Iulianae eunuchis, qui post mortem eius vitae monasticae sese dederint, alter eiusdem argumenti locus adiciendus est ex Pauli Helladici abbatis epistula, quae extat inter Anecdota Byzantina e codicibus Upsaliensibus edita a V. Lundstroemio fasc. I (1902) p. 20: Εὐτρόπιός τις εὐνοῦχος νοτάριος Ἰουλιανῆς τῆς κατὰ Πλακιδίαν τῆς γυναικὸς Ἀρεοβίνδου . . . ἐγένετο μοναχὸς κτλ.

documentum adferre licet ex acrosticho a nobis enucleato, cuius v. 6 legitur *Ἀνικήω[ν], ὧν γένος πέλεις.* Cui argumento luculentissimo aliud accedit satis grave, quod Iuliana matrona acrosticho illo celebrata incolis Honoratarum, quod erat suburbium urbis Constantinopolis in ulteriore Propontidis litore situm[1]), amplissimam laudis materiam praebuisse perhibetur, quippe quae ecclesiam magnificam ibi aedificaverit. Nam idem de Anicia Iuliana traditur in Theophanis Confessoris chronographia ad annum 512/13[2]): *Ἰουλιάνα δὲ ἡ περιφανεστάτη, ἡ κτίσασα τὸν ἱερὸν ναὸν τῆς Θεοτόκου ἐν τοῖς Ὀνωράτοις.*

Praecipuis his argumentis tertium adicere liceat non ex acrosticho, sed ex ipsa pictura petitum. Compertum enim habemus Aniciam illam Iulianam patriciatu exornatam fuisse,[3]) qui summus illa aetate nobilitatis gradus iam non hereditario iure propagabatur, sed singulis concedebatur personis; quem honorem non per coniugis, qui nusquam patricius appellatur, promotionem, sed ipsa imperatoris beneficio adsecuta esse videtur. Quocum optime conveniunt ornamenta et insignia, quibus Iuliana matrona in pictura f. 6v instructa est. Codicilli enim aurei rhomboide alba distincti, quos Iuliana sinistra sustinet, videntur proprium esse patriciatus insigne, quae quidem dignitas inde a Constantini imperio incipiebat *ab imperialibus codicillis praestitis*[4]). Describuntur hi codicilli in Philothei cletorologio anno fere 900 conscripto[5]) in hunc modum: *πλάκες ἐλεφάντιναι κεκοσμημέναι σὺν κωδικέλλοις ἐγγεγραμμένοις εἰς τύπον τοῦ νόμου.* Sed vestimentis quoque Iulianae, ut in commentatione citata copiosius demonstravimus, patriciatus indicatur nobilitas; nam palla illa aurata contabulata sine dubio

---

[1]) De Honoratarum situ v. commentationem meam p. 112 s. adn. 5.

[2]) I p. 157 s. ed. C. de Boor; p. 135 ed. Bonn.; Mignei Patrol. gr. CVIII p. 369 B s.

[3]) Cf. Chronicon paschale ad a. 512 (I p. 610 ed. Dindorf.): *Ἰουλιάνας τῆς ἐπιφανεστάτης πατρικίας*; Cyrillus Scythopolitanus vitae S. Sabae c. 53. 69 (Ecclesiae graecae monument. ed. I. B. Cotelerio III p. 303. 338). Vide praeterea commentationis meae p. 113 s. cum adn. 4.

[4]) Cf. Cod. Iust. XII 3, 5 pr.; Instit. I 12, 4.

[5]) V. Constantini Porphyrogenneti de caerim. II 52, 1 p. 411 R.

est λῶρος, quo patriciae dignitatis et viros et feminas amictos fuisse constat; capitis mitra in acumen aureum desinens vittisque ornata videtur *apex patriciatus* esse sive, ut graece vocabatur, προπόλωμα. Sella denique, in qua sedet Iuliana, *patricia sedes* est sive πατρίκιος θρόνος, quem in *suggestu*, qualis in pictura conspicitur, collocari solitum esse traditur.

De Iulianae persona cum iam constet, ad ipsum tempus codicis confecti definiendum pergamus. Qua in re imprimis considerandum est Aniciam Iulianam et Theophanis testimonio supra allato et acrosticho codicis nostri hoc tantum nomine praedicari, quod Honoratis templum dei erexerit; eandem vero in poemate Anthologiae Palatinae I 10, quod Constantinopoli in celeberrima aede S. Polyeucti anno fere 527 ab Iuliana ad finem perducta inscriptum erat, profusissimis laudibus ornari eam ob causam, quod omnes sanctos dei et Constantinopoli et toto orbe terrarum innumerabilibus ecclesiis et donis illustraverit. His omnibus recte perpensis veri simillimum est ecclesiam illam genetricis dei Honoratis conditam secundum temporis ordinem primam fere aedem sacram fuisse, quae eximiae liberalitati Iulianae deberetur, interque hanc aedificationem principem et ecclesiam S. Polyeucti post longam aliarum aedium seriem magnifice exstructam idem fere temporis intervallum interiectum esse, quo acrostichon f. 6^v inscriptum et carmen illud Anthologiae seiungenda videntur. Quam ob rem in aetate acrostichi ipsiusque codicis definienda annum 512, quo ecclesiam deiparae Honoratensem iam extitisse Theophanes auctor est, excedere vix fas est.

Sed fortasse in hac quaestione tractanda ulterius progredi licet, ut ipsam ecclesiae Honoratensis dedicationem statuamus occasionem offerendi codicis praebuisse. Etenim ad templum illud magna impensa ab Iuliana conditum non solum acrostichon, de quo egimus, sed etiam imagines illae minutae in octo circuli segmentis positae referendae sunt, quibus pueri alati artificum instar aedificium quoddam construentes et exornantes effinguntur. Cum his vero opificum et artificum diversorum, lapidariorum videlicet et fabrorum ligna-

riorum, sculptorum et pictorum operibus sine ulla dubitatione coniungenda est figura illa in ipso octogono picta, cui *Εὐχαριστία τεχνῶν* superscriptum est, quae illorum nomine communi Iulianam adorare gratiasque ei agere videtur. Verum et puer alatus, qui codicem herbarum figuris illustratum — significatur Dioscuridis quem habemus liber — dominae porrigit, titulo inscripto designatur *Πόθος τῆς φιλοκτίστου*. Quibus verbis item adluditur ad ecclesiae illius *κτίσιν* et haud obscure indicatur amorem hominum, quem Iuliana aedis erectae beneficio sibi conciliaverit, eos compulisse, ut Dioscuridis codicem dono illi offerrent [1]). Plurima igitur, quae hac pictura continentur [2]), eandem in sententiam concurrere manifestum est, ut satis confidenter adfirmare audeam amicos quosdam et clientes Aniciae Iulianae, quos ecclesia Honoratis aedificata sibi devinxerat, artifices imprimis in ipso opere occupatos, quorum *εὐχαριστία* a pictore inducitur, civesque Honoratenses, quos totum per orbem Aniciorum liberalitatem laudibus efferre acrostichon perhibet, communi consilio et sumptu librum conscribendum et pingendum curasse patronaeque suae ob dedicatam Honoratis ecclesiam grati studiosique animi ergo dono obtulisse [3]). Quae interpretatio si vera est, magis etiam constat fieri non posse, ut codex post annum 512 exaratus sit.

---

[1]) In commentatione supra citata p. 123 inscriptionem illam *πόθος τ. φ.* his verbis explicavi: *Wunsch der Kunstgönnerin*, ratus codicem Iulianae iussu et sumptibus confectum esse. Cui interpretationi merito adversatus est I. Iuethner l.c. LV (1904) p. 314 s.

[2]) Adde quod modii duo ante suggestum collocati annonariam liberalitatem indicare possunt, quam Iuliana more antiquo in ecclesiae fortasse dedicatione largita erat.

[3]) Nobiles illorum temporum matronas codices sumptuose ornatos singulariter adamasse notum est; cf. F. Wickhoff *Jahrbuch der kunsthistorischen Sammlungen des Kaiserhauses* XIV (1893) p. 196 ss.; Guil. Wattenbach *Das Schriftwesen in Mittelalter* ed. tert. p. 133.

CAPUT II. DE CODICIS, DUM CONSTANTINOPOLI ADSERVATUR, HISTORIA.

Quaenam fuerint codicis nostri fata per septingentos fere qui sequuntur annos, prorsus ignoratur. Iam vero saeculo XIII liber pretiosissimus in manibus versabatur hominum occidentalium, qui in urbe Constantinopolitana tum dominabantur. Etenim statim in initio herbarii (f. 13^r, 21^v, 23^v, 24^v) synonyma, quae in ipso textu graece exarata sunt, inveniuntur latinis litteris transscripta manu saeculi XIII, cuius scribendi ratio proxime ad illud scripturae genus accedere videtur, quod eodem fere tempore librariis monasterii Montecassinensis in usu erat [1]). Alia supparis aetatis manus in f. 13^v—27^v herbarum figuris vocabula adposuit latina [2]). Folio denique 327^v nomini herbae, quod graece est *σπάρτος*, eodem fere tempore adscriptum est *Genestre*. Quae quidem vocabuli genistae forma saeculo XIII propria erat illi dialecto, quam loquebantur Francogalli orientales [3]). Videntur eiusmodi adnotationes tam conspicuis locis positae nisi ab ipsis libri possessoribus inscribi non potuisse. Magna igitur cum probabilitate suspicari licet codicem anno 1204 captum esse ab iis, qui duce Balduino Flandriae domino ad quartum bellum sacrum gerendum ex occidente profecti Constantinopoli expugnata thesaurorum sacrarumque reliquiarum cupiditate incensi urbis aedificia publica et monasteria nobiliumque domus diripiebant. Neque tamen Constantinopoli in aliam partem delatus esse videtur,

---

[1]) Hoc me docuit Rudolphus Beer collega rei palaeographicae doctissimus. Cf. specimina scripturae vetustioris edita in *Paleografia artistica di Montecassino* (auctore Oderisio Piscicelli-Taeggi), *Latino* (1882) tab. I. II. XXVIII. — Vide praeterea infra cap. IX.

[2]) In codice Parisino gr. 2286, qui herbarii nostri apographon continet medio fere saeculo XIV confectum, nomina haec in ipsum contextum recepta sunt voce *Φράγγοι* praemissa; v. cap. XXXII n. I.

[3]) Hac de re summa officiositate per epistulam me certiorem fecit Matthaeus Bartoli Argentorate degens, iuvenis harum quaestionum imprimis peritus, quocum consentit Carolus de Ettmayer collega Vindobonensis.

cum saeculo etiam XV ineunte ibidem adservatus sit; parum enim profuisset liber eis, qui graecam linguam callebant, utilissimus in occidentem deportatus, ubi minima ea tempestate erat graecitatis notitia. In patria igitur victoribus inserviebat codex Dioscurideus, sine dubio remediis parandis in nosocomio quodam adhibitus. Compertum enim habemus hominibus occidentalibus sive Latinis, ut tum vocabantur, Constantinopoli sua fuisse valetudinaria iam inde a Manuelis Comneni regno (a. 1143—1180), qui eo quo Latinos fovebat studio fratribus sive militibus ordinis hospitalis Hierosolymitani xenodochium, quod Sancti Ioannis appellabatur, concessisse videtur [1]). Anno denique 1261 Latinis Genuensium ope urbe Constantinopoli pulsis herbarium Dioscurideum a Graecis recuperatum esse conicere possumus.

Fortasse codex noster illa iam aetate pervenerat in monasterium Constantinopolitanum Sancti Ioannis Praecursoris, cui nomen erat *ἡ μονὴ τοῦ Προδρόμου Ἰωάννου τῆς Πέτρας* (sive *τῆς Παλαιᾶς Πέτρας*), quodque ab imperatorum Palatio in Blachernis sito haud procul aberat [2]). Altera vero saeculi XIV

---

[1]) Cf. Ducangius Cpolis christianae l. IV p. 163 n. III ed. Paris. (p. 114 n. III ed. Venet.). Titulum sepulcralem medici cuiusdam, *Bartholomei d. a[r]tis medicine periti,* qui obiit a. 1249, Constantinopoli repertum in districtu qui Genuensibus illa aetate adsignatus erat, protulit A. G. Paspatis in ephemeride, cui inscribitur *Ὁ ἐν Κπόλει Ἑλληνικὸς φιλολογικὸς Σύλλογος, ἀρχαιολ. ἐπιτροπή, παράρτημα τοῦ ΙΓ' τόμου* (1880) p. 83.

[2]) De nobilissimi huius monasterii situ et aedificiis sat multi auctores disseruerunt; cf. Stephanus Gerlach senior *Tagebuch* (Francofurti ad Moenum 1674) p. 312. 336. 455; Lambecius Comm. de bibl. Vindob. ed. Kollar. IV p. 189 s. adn. A; C. Ducangius Cpolis christ. lib. IV p. 101 n. XII ed. Paris. (p. 69 B ed. Ven.); idem in notis ad Annae Comnenae Alexiadem (Mignei Patrol. gr. CXXXI p. 206 adn. 29); A. Mordtmann in ephemeride *Ὁ ἐν Κπόλει Ἑλληνικὸς φιλολογικὸς Σύλλογος, ἀρχαιολ. ἐπιτροπή, παράρτημα τοῦ ΙΘ' τόμου* (1891) p. 3—9; idem *Esquisse topographique de Cple, Revue de l'art chrétien,* ser. IV vol. II (1891) p. 481 (v. Buondelmontii mappam ibidem expressam p. 371 n. 10; p. 479 n. 25); Ph. Forchheimer et I. Strzygowski *Die byzant. Wasserbehälter von Kpel* (*Byzant. Denkmäler, herausgegeben von J. Strzygowski* II [1893]) p. 154; I. P. Richter *Quellen der byzant. Kunstgeschichte* p. 246 ss. n. 4. 5; E. A. Grosvenor *Constantinople* II p. 472. 578 s.;

parte et saeculo XV ineunte librum ibi adservatum esse certissimis comprobatur argumentis. Etenim Neophytum monachum Prodromenum iam saeculo XIV fere medio codice usum esse statim exponetur. Porro hospitium a Stephano Uroschio II Serviae rege conditum eamque ob causam ξενὼν τοῦ Κράλη appellatum, cuius usibus herbarium aliquamdiu destinatum fuisse adnotatio f. 1r anno 1406 vel paulo post inscripta testatur, monasterio Prodromi adnexum fuisse mox demonstrabitur (p. 22 s.). Ioannes vero Aurispa, qui anno fere 1422 vel 1423 Constantinopoli versatus est, disertis verbis narrat sibi cognitum esse *codicem mirae antiquitatis*, qui herbarum et animalium imagines contineret, extantem Constantinopoli *in monasterio*, ut ait, *Petrae Sancti Ioannis* (infra p. 25 s.).

Monasterio huic ditissimo omnibusque commoditatibus et ornamentis instructo [1]) sat magnam librorum copiam seu

---

Marin *Les moines de Constantinople* (1897) p. 74. 89 adn. 1; A. van Millingen *Byzantine Constantinople* (1899) p. 24. 84. 205. 319 s.; Manuel Io. Gedeon Ἐκκλησίαι Βυζαντιναὶ ἐξακριβούμεναι (Cpoli 1900) p. 61—68; A. Papadopulos Kerameus in Συλλόγου ephemeride supra citata XXVIII (1904) p. 121. 128. 130 s. adn. 7. V. praeterea Krumbacheri hist. litt. Byzant. ed. alterius p. 740. 771; de Cpolis regione, quae Petra sive Petrion vocabatur, E. Oberhummer in Pauly et Wissowae encycl. IV p. 977. 1013. De reliquiis Salvatoris et Sanctorum in Prodromi monasterio adservatis cf. Comes Riant Exuviarum sacr. Cpolitanarum II p. 212. 227; F. de Mély in continuatione operis Riantii (Paris. 1904) p. 43. 44. 112 s.; praeterea Mordtmannus Συλλόγου l. c. p. 5 ss. n. 8. 9. 11. 13; Grosvenor l. c. II p. 578. Monasterium τοῦ ἐνδόξου προφήτου, προδρόμου καὶ βαπτιστοῦ Ἰωάννου cognomine τῆς Πέτρας frequenter memoratur in actis patriarchatus Cpolitani; v. Acta et diplomata graeca medii aevi edd. F. Miklosich et I. Mueller I p. 26 s. n. 14 (a. 1315); p. 488 n. 228 (a. 1365); II p. 21 ss. n. 341 (a. 1381); p. 260 ss. n. 499 (a. 1395). — De monasterio homonymo Praecursoris Novae Petrae in territorio Druanubainis saeculo XIII condito v. I. Pasinus, A. Rivautella, F. Berta Codicum mss. bibl. Taurinensis p. 319 ss.; Miklosich et Mueller l. c. vol. IV passim.

[1]) Magnificum monasterii Prodromeni splendorem, qualis fuerit anno 1403, id est ipso tempore, quo herbarium Dioscurideum ibi extitisse comperimus, fusius describit Ruy Gonzalez de Clavijo *Historia del gran Tamorlan* ed. alterius (*Coleccion de cronicas* III, Matriti a. 1782) p. 50 ss., quod testimonium et a Mordtmanno Συλλόγου l. c. p. 6 n. 13 et a Richtero l. c. p. 247 ss. citatur.

potius bibliothecam suppetiisse aliunde compertum habemus; inter quos thesauros litterarum spectatissimum sine dubio locum codex Dioscurideus obtinebat. Neque deerant monachi librariae artis periti [1]). Maxime vero ad ea, quae nobis proposita sunt, facere videtur, quod altera fere saeculi XIV parte hic commorabatur Neophytus quidam monachus a monasterii nomine *Προδρομηνὸς* appellatus [2]), qui non solum varias dissertationes theologicas [3]) et logicas [4]) con-

[1]) Subscriptiones codicum, qui fuere *τῆς μονῆς τοῦ Προδρόμου* antiquo vocabulo *Πέτρα* vocatae, inde a saeculo XII exaratas adferunt Montfauconius Palaeogr. gr. p. 58 s. 305 (cf. p. 100. 110); Lambecius Comm. de bibl. Vind. ed. Kollar. IV p. 188 s.; Kollarius ibidem IV p. 61 s. adn. A; V. Gardthausen Pal. gr. p. 325. 339. 410; idem Catalog. codicum graecorum Sinaiticorum p. 79 ad n. 352; Marin l. c. p. 402; C. R. Gregory *Textkritik des neuen Testamentes* I (1900) p. 148 n. 87; p. 163 n. 178; p. 221 n. 774; de codice a Gregoryo p. 163 n. 178 allato cf. praeterea Th. W. Allen *Notes on Greek manuscripts in Italian libraries* (1890) p. 38 n. 1; *Studi italiani di filologia classica* IV p. 163 n. 123. His iam accedit subscriptio codicis Parisini gr. 2286 saeculi XIV, de quo statim dicemus (infra p. 22; cap. XXXII n. I). Ex monasterii eiusdem librariis innotuerunt praeterea Arsenius monachus *τοῦ Προδρόμου* a. 1136 (cf. H. Omont *Inventaire sommaire* I p. XXXIV et 168 n. 891; Gardthausen l. c. p. 315; Marin p. 415 adn. 8), Stephanus monachus a. 1416 (de quo v. Gardthausen p. 338); quibus fortasse adiungendus est Thomas *ὁ Προδρομίτης* a. 1465 (cf. Bandinius Catal. codd. gr. bibl. Laurent. III p. 271; Gardthausen p. 340).

[2]) Eorum monasteriorum, quae Sancto Ioanni *Προδρόμῳ* consecrata erant, monachi non solum *Προδρομῖται* (cf. supra adn. 1) vocabantur, sed etiam *Προδρομηνοί*; cf. Acta et diplomata ed. Miklosich et Mueller II p. 519 s. n. 660 (a. 1401) et p. 525 n. 663 (eiusdem anni). Idem fortasse homo est *Νεόφυτος ἱερομόναχος*, qui inter alios monachos *τῆς μονῆς τοῦ τιμίου ἐνδόξου προφήτου, προδρόμου καὶ βαπτιστοῦ Ἰωάννου καὶ ἐπικεκλημένης τῆς Πέτρας* subscripsit a. 1395 actis piae cuiusdam fundationis; cf. Acta et diplomata II p. 263 n. 499.

[3]) Neophyti Prodromeni refutationes Latinorum et Barlaamitarum, quae secta medio fere saeculo XIV extiterat, memorat A. Ehrhard in Krumbacheri hist. litt. Byz. ed. alt. p. 105 n. 7. Cf. praeterea I. Sakkelion *Πατμιακὴ βιβλιοθήκη* p. 189 n. 428; S. P. Lampros *Κατάλογος τῶν ἐν ταῖς βιβλ. τοῦ Ἁγίου ὄρους Ἑλλ. κωδίκων* II indicis p. 542.

[4]) Codice Vaticano Urbinate gr. 80 saeculis XIV et XV exarato traditur f. 261r *ἐπιτομὴ Νεοφύτου μοναχοῦ Προδρομηνοῦ εἰς τὰς ε' Πορφυρίου φωνάς*,

scripsit, sed etiam rei herbariae et medicae operam navavit. Etenim satis ampla opusculorum medicorum et botanicorum collectio, quam ipse Neophytus composuerat, vel ipsius manu vel ex eius exemplari saeculo fere XIV medio descripta traditur codice Parisino gr. 2286, quem subscriptio *τῆς Προδρομικῆς μάνδρας καὶ Πετρωνύμου* fuisse testatur. Quo continentur et ipsum herbarii Dioscuridei apographon ex nostro exemplari depromptum et herbarum aliorumque remediorum sylloge secundum litteras ordinata, in qua conscribenda Neophytum eundem librum adhibuisse constat [1]). Quibus ex indiciis apparet pretiosissimum Aniciae Iulianae codicem iam tum in splendido illo monasterio adservatum esse, inter cuius libros a. 1406 et 1422 eum fuisse testimoniis expressis stabilitum est. Neque mero casui tribuendum puto, quod Neophyti sylloge tribus in codicibus arte coniuncta est cum apographis carminis quod dicitur de viribus herbarum, quae ex vetustissimo de quo agimus exemplari derivata sunt [2]). Id sat probabiliter inde explicatur, quod archetypus libelli botanici a Neophyto compositi una cum codice nostro in monasterio Prodromeno servabatur.

Inde ab initio saeculi XV celeberrimi codicis fata etiam accuratius persequi licet. Adnotatione enim f. 1^{r} inscripta, quam infra (cap. X) repetemus, certiores fimus librum vetustate corruptum a. 1406 denuo compactum esse ab Ioanne quodam Chortasmeno [3]) iussu et impensa Nathanaelis monachi, qui

cui adnexae sunt commentationes quaedam ad Aristotelis libros logicos eiusdem fortasse auctoris. Cf. C. Stornaiolo Codd. Urb. gr. bibl. Vaticanae p. 126 s.

[1]) Uberius de codice Parisino gr. 2286 disseremus cap. XXXII n. 1; cf. etiam cap. XII n. 6.

[2]) Traditur enim in codicibus Vat. Pal., Mediol., Berol., qui omnes ex uno apographo pendere videntur, una cum carmine de viribus herbarum (cf. cap. XXXII n. VIII).

[3]) Familiae ut videtur eiusdem femina memoratur in actis patriarchatus Constantinopolitani circa a. 1400; cf. Acta et diplomata II p. 473 n. 631: *τῆς τοῦ Κεχορτασμένου μητρὸς ἐκείνης*; ibidem p. 481 n. 635: *τῆς Κεχορτασμένης*. Nominis autem forma indicatur Ioannem Chortasmenum laicum fuisse, qui lucri fortasse faciendi causa codices reparandos suscipiebat.

νοσοκόμου tum officium tenens aegris curandis praeerat ἐν τῷ ξενῶνι τοῦ Κράλη. Quod hospitium in ipsa urbe Constantinopoli institutum erat a Κράλη, unde nomen traxit, id est rege Serviae Stephano Uroschio II inter annos fere 1299 et 1321 [1]), ea condicione, ut partem monasterii Prodromeni efficeret [2]). Atque ipse Nathanael,

[1]) Carolo Ducangio (Constantinopolis christ. l. IV p. 163 n. IV ed. Paris.; p. 114 n. IV ed. Venet.) ξενὼν ille τοῦ Κράλη ex subscriptione tantum codicis nostri innotuerat; cf. Montfauconii Palaeogr. gr. p. 40. 110. 196. Accuratius demum de hospitio illo litteris benignissime me edocuit I. C. Jireček professor Vindobonensis, vir harum rerum consultissimus; cuius verba hic exscribere liceat: „Der ξενὼν τοῦ Κράλη in Konstantinopel war eine Stiftung des serbischen Königs (slav. kralj, bei den Byzantinern Κράλης) Stephan Urosch II, genannt Milutin (1282–1321). Dieser König war durch seine Heirat mit Simonis (c. 1299) Schwiegersohn des byzantinischen Kaisers Andronikos II Palaiologos.... Ein Zeitgenosse, der serbische Erzbischof Daniel (Životi kraljeva i arhiepiskupa srpskih, herausgegeben von Daničić, Agram 1866, p. 134) schreibt darüber: „In der Stadt Konstantinopel und zwar an der Prodrom genannten Stelle erbaute er eine Kirche Gottes durch Schenkung ungezählten Goldes und errichtete viele wunderbare und herrliche Paläste (*polaty*) und gründete ein Xenodochion genanntes Krankenhaus (*ksenodochije glagoljemo bolnice*), und hier stiftete er eine grosze Menge Betten zur Ruhe für die Kranken, mit weichem Bettzeug darauf; und wenn jemand von irgend einer Krankheit ohne Hoffnung befallen war, liesz er jeden zu einem so vorbereiteten Bette gehen; auch sammelte er zahlreiche erlesene Dörfer im griechischen Gebiet und schenkte sie hieher, damit sie Zins dieser Stelle zahlen, und fand viele kunstvolle Ärzte, gab ihnen viel Gold, soviel sie bedurften, damit sie fortwährend bei den Kranken sind, ihnen Heilung bringend; und dazu ernannte er seine vornehmen getreuen Männer, welche die Kranken besuchen und alles nützliche ihnen thun sollten" usw. Der König wird wegen dieser Schenkung von Daniel dann überschwänglich gelobt." Praeterea in annalibus Servicis ad annum usque 1516 continuatis, qui vocantur *Cetinjski letopis*, inter Milutini regis fundationes hoc quoque valetudinarium Constantinopoli constitutum recenseri auctor mihi est Ljuba Kovačević professor Belgradiensis.

[2]) Danielis verba ab Jirečekio supra adn. 4 citata haec sunt: 'in loco qui *Prodrom* vocatur'; exactius etiam locus indicatur a Daniele p. 135: „in hoc loco apud Sanctum Prodromum". De alio xenodochio, quod cum monasterio τοῦ παντοκράτορος Constantinopolitano coniunctum erat, disputavit E. Kurtz *Byzantinische Zeitschrift* II (1893) p. 628 s. — Monasterium Prodromi Constantinopolitanum antiquitus quodammodo coniunctum fuisse cum gente Slavica

qui a. 1406 νοσοκόμος erat in hospitio Cralis, in alio documento inter huius monasterii monachos nominatur [1]. Codex vero Dioscurideus neque ad ipsum Nathanaelem pertinebat, cuius iussu et sumptibus instauratus esse dicitur, neque ad xenodochium illud τοῦ Κράλη [2], cuius usibus sine dubio inserviebat, sed in ipsius monasterii bonis fuisse censendus est. De forma autem, in quam liber hic pretiosus ab Ioanne Chortasmeno a. 1406 redactus sit, et de opera illius, qui eundem paulo

---

ostendunt hominum Rossorum, qui in terram sanctam peregrinabantur, itineraria, quibus omnibus fere monasterii huius mentio inest. Cuius rei testimonia multa invenies apud Mordtmannum Συλλόγου l. c. p. 5 ss. n. 3. 8. 11. 14; *Itinéraires russes en Orient traduits par* B. de Khitrovo (Genavae 1889) I 1 p. 104. 124. 136. 162. 205. 232. Ignatius diaconus Smolenskensis anno fere 1389/1405 monachos nationis Rossicae memorat, qui in illo monasterio habitantes cives suos hospitio exceperint; cf. Mordtmann p. 6 n. 11; *Itinéraires* p. 136. Post xenodochium vero illud τοῦ Κράλη conditum artiore etiam vinculo monachos S. Ioannis Prodromi cum Serviae principibus conexos fuisse per se intellegitur. Veluti a. 1395 a Manuele Palaeologo μνημόσυνα in memoriam Constantini Serviae principis, soceri ipsius, instituta sunt ἐν τῇ μονῇ τοῦ τιμίου ἐνδόξου προφήτου, προδρόμου καὶ βαπτιστοῦ Ἰωάννου καὶ ἐπικεκλημένῃ τῆς Πέτρας; cf. Acta et diplomata ed. Miklosich et Mueller II p. 260 ss. n. 499. Anno denique 1464/5 monasterium ab incolis suis destitutum a Mohammede II Turcarum imperatore donatum est matronae cuidam nobili Christianae ex Servia oriundae; cf. M. I. Gedeon Βυζαντιναὶ ἐκκλησίαι ἐξακριβούμεναι p. 61 ss.; Grosvenor l. supra (p. 19) citato II p. 579.

[1]) Nam idem sine dubio est ὁ μοναχὸς Ναθαναήλ, qui inter ceteros monachos monasterii Sancti Praecursoris a. 1395 actis donationis illius a Manuele Palaeologo factae subscripsit; cf. Acta et diplomata II p. 263 (n. 499) et adn. praec. De νοσοκόμου officio monastico cf. Ducangius Gloss. graec. s. v. νοσοκόμος; G. Schlumberger *Revue archéol.* NS XL (1880) p. 207; idem *Mélanges d'archéologie byzantine* I (1895) p. 298; idem *Sigillographie de l'empire byz.* p. 379; Marin *Les moines de Constantinople* p. 66.

[2]) P. I. Šafařík vir doctissimus (*Geschichte der südslawischen Literatur* III [1865] p. 86) lapsu quodam memoriae deceptus videtur, cum adfirmat Danielem archiepiscopum, cuius verba supra p. 23 adn. 1 enotantur, librorum a Stéphano Milutino xenodochio Constantinopolitano donatorum mentionem facere, in quorum fortasse numero codex Dioscuridis hodie Vindobonensis fuerit.

post denuo tractavit magnamque herbarii partem litteris minusculis transscripsit [1]), alio loco (cap. X. XI) disputabitur.

Anno fere 1422 vel 1423, dum Constantinopoli monumentorum litterarum investigandorum et comparandorum causa versatur [2]), in Prodromi monasterio codicem Dioscurideum inspexit Ioannes Aurispa Siculus (natus circa a. 1369, mortuus a. 1459), impiger ille bibliothecarum Graecarum perscrutator et emptor librorum veterum. Is enim in litteris datis *ex Ferraria IV nonas Ianuarii* — anni ut videtur 1424 [3]) — ad Ambrosium Traversarium Camaldulensem [4]) amicum litterarumque fautorem, qui Florentiae degebat, haec habet [5]):

Nicolao medico, [6]) *praestanti in omni virtute ac diligentia viro primum me dedas oro: tum ex me adfirmes codicem mirae antiquitatsi Constantinopoli esse, in quo depictae sunt et herbae et radices et quaedam animalia, serpentia maxime, atque herbarum et radicum vocabula graecis literis, triplici idiomate graeco, latino et alio nescio quo adnotantur* [7]). *Est in monasterio Petrae Sancti Ioannis (ita enim adpellatur) et*

[1]) Ab eodem et inscriptio f. 1^r de codice nove compacto exarata est.

[2]) De libris Constantinopoli a se inventis, quorum magnum numerum in Italiam secum abstulit, ipse Aurispa refert in litteris, quae impressae extant inter „Ambrosii Traversarii generalis Camaldulensium aliorumque ad ipsum ... latinas epistulas" editas a L. Mehus (Florentiae 1759) libro XXIV 53 col. 1026 ss. De eiusdem itinere Constantinopolitano cf. I. M. Mazzuchelli *Gli scrittori d'Italia* I 2 p. 1277, et imprimis Georgius Voigt *Die Wiederbelebung des class. Alterthums* ed. alt. I p. 265 s. 348 s. 561; Wattenbach *Das Schriftwesen im Mittelalter* ed. tert. p. 571. 600.

[3]) De tempore v. Voigtium l. c. I p. 267 adn. 1.

[4]) Natus est anno fere 1376, obiit a. 1439.

[5]) Editionis citatae l. XXIV epist. 58 (col. 1033).

[6]) Est Nicolaus Niccolus (vernacula lingua Niccolò de' Niccoli) medicus Florentinus litterarum humaniorum cultu satis notus, qui Cosmi Medicei iussu diligentissime codices veteres conquirebat. Cuius studia et commercium, quod inter eum et Aurispam intercessit, illustraverunt I. Burckhardt *Die Cultur der Renaissance in Italien* ed. sept. I (1899) p. 205. 210, alibi, et Voigtius I p. 298 ss., imprimis p. 303. De libris eius nonnulla adnotata sunt apud Bandinium Catal. codd. gr. bibl. Laurent. III p. 617.

[7]) De synonymis loquitur Aurispa singulis herbarum descriptionibus praemissis.

facillime mea sententia habebitur. Modo vero aut scribam, si vultis, aut egomet, ut spero, enarrabo.

Saeculis XIII et XIV atque priore saeculi XV parte ante Constantinopolim a Turcis expugnatam codex noster magni pretii habitus summa auctoritate florebat. Qua aetate a librariis diversis descriptus et depictus paulatim in Italia quoque hominibus doctis innotuit, quorum animos inter primos Aurispa nuntio illo Constantinopoli adlato ad eximium hunc thesaurum advertisse videtur. Cuius rei testes praecipui supersunt codices Romanus Chigianus, Florentinus Laurentianus, Urbinas Vaticanus, fortasse et Bononiensis, de quibus omnibus quarta parte fusius disputabitur. Neque silendum est ultimo codicis nostri folio (485ᵛ) extare adnotationem mutilam, quam saeculo circiter XIV scriptam esse veri simile est, qua Sisinius quidam memoratur aliusque monachus, cuius nomen periit [1]). Possumus autem conicere nomina haec esse monachorum duorum, quorum alter alteri in nosocomi officio successerit, ex quibus Sisinius testari videtur se librum successori tradidisse, ἱερομόναχος vero ignotus se eundem a Sisinio accepisse.

De fatis, quae libro Dioscurideo obtigerint intra eos centum annos, qui inde a Constantinopoli a. 1453 a Turcis capta usque ad Suleimani II regnum numerantur, nihil expressis verbis traditum est. Sed huic tempori procul dubio tribuenda sunt herbarum vocabula Graeca litteris Arabicis modo chrysographis, modo communi atramento exaratis transscripta, quae in omnibus fere imaginibus conspiciuntur, additis plerumque synonymis Arabicis vel Turcicis. Quibus inscriptionibus satis nitidis et ad calligraphiae quam dicunt normam com-

---

[1]) Quae servata sunt, in hunc fere modum suppleri possunt:

\+ παρέδωκα ἐγὼ +]Σισίνιος τὴν βί-
βλον ταύτην ἔ]χουσαν φύλλα φ'.

Post versus unius intervallum vacuum sequitur alia manu scriptum:

\+ παρέλαβον ὁ δεῖνα τά]χα ἱερομόναχος.

Vox τάχα, qua humilitas quaedam exprimitur, pariter atque vocabula ὁ ταπεινὸς, ὁ ἐλάχιστος in eiusmodi subscriptionibus posterioris aetatis haud raro inveniuntur. De foliorum 500 numero v. infra cap. VIII.

paratis comprobatur codicem a victoribus etiam Turcis magno in honore habitum esse [1]). Coniecerit igitur quispiam herbarium ex praeda monasterii S. Ioannis Praecursoris [2]) nobili cuidam Turcae obvenisse, qui sermonem quidem Graecum intellexerit, scripturam vero Graecam ignoraverit, eiusque causa ipsa vocabula Graeca ab homine eius rei perito Arabicis litteris repetita et versione Arabica esse instructa. Tempore autem insequente, saeculo fere XVI, codicem nescio quo pacto in cuiusdam Iudaei manus pervenisse altero inscriptionum genere demonstratur; extant enim in imis plerumque picturarum paginis ipsa herbarum vocabula Graeca lingua, sed Hebraicis litteris transscripta. Atque sat probabilis videtur coniectura additamenta haec Hebraica exarata esse manu *Hamonis, dum viveret Suleimanni* [3]) *medici*, penes cuius filium Busbeckius anno 1562 Dioscuridem a se repertum esse testatur.

CAPUT III. DE CODICE VINDOBONAM TRANSLATO [4]).

Iam ad eam accedamus aetatem, qua pretiosissimus de quo agimus thesaurus ex urbe, unde originem traxit, Turcarum iam facta metropoli feliciter in Occidentis partes translatus et gravioribus fortunae vicissitudinibus in perpetuum subtractus est [5]). Anno igitur 1555 Augerius de Busbecke, eques

---

[1]) De summa auctoritate, quam Dioscuridis opus apud medicos Orientis obtinuerit, legentes ad ea relegare sufficit, quae M. Wellmannus disputat Pauly et Wissowae encycl. V p. 1132. 1136 s.

[2]) Monasterium ipsum a monachis derelictum a Mohammede II a. 1464/5 donatum esse matronae cuidam Servicae Christianae supra p. 23 s. adn. 2 indicavimus.

[3]) Regnavit Suleimanus II Turcarum imperator annis 1520—1566.

[4]) Nonnulla, quae ad huius capitis materiam pertinent, congesta invenies apud Lambecium Comment. ed. Kollar. I p. 74—80; II p. 123—127. A Lambecio fere pendent B. Montfauconius Palaeogr. gr. p. 195; D. de Nessel Catalog. III p. 4; I. F. de Mosel *Geschichte der k. k. Hofbibliothek zu Wien* (1835) p. 27 s. 32 (cf. p. 302); ex Moselio hausta sunt, quae profert F. Cohn *Jahres-Bericht der Schlesischen Gesellschaft für vaterländische Cultur* LIX (1881) p. 303 s.

[5]) Mendacis fabulae de codice a. 1529 capto meminit Lambecius II p. 127

ex Belgio inferiore oriundus, Ferdinandi I regis tum Romanorum iussu legationem ad Suleimanum II susceperat, in qua usque ad finem mensis Augusti a. 1562 Constantinopoli commoratus est [1]). Quo in itinere prudentissimus ille vir summo bonarum artium amore incensus maxima industria et indefesso labore antiquos codices undique conquirebat, quorum haud multo infra ducentos et quadraginta, ut ipse testatur, a se comparatos Ferdinando Augusto misit in bibliotheca Caesarea adservandos [2]). Singulari vero studio scientiam botanicam amplectebatur; constat enim Busbeckium herbarum in itinere inventarum specimina, quae per comitatus sui medicum, cui Quacquelben nomen erat, colligenda curaverat [3]), cum Petro Matthiolo summo aetatis illius medico et botanico sibique amicissimo communicasse eidemque duo Dioscuridis exemplaria Constantinopoli secum advecta excutienda praebuisse [4]).

---

adn. 1 (ed. Kollar.): *Hinc patet, eos errare, qui falso credunt, hunc codicem a.* 1529, *cum Solimannus Turcarum Tyrannus Vindobonam obsideret, ab obsessis captum, et opimi instar spolii in urbem delatum esse.*

[1]) De Busbeckio cf. *Biographie nationale Belgique* III (187.) p. 180 ss.; C. Thornton Forster et F. H. Blackburne Daniell *The life and letters of Ogier Ghiselin de Busbecq* voll. II (1881); alii. De eiusdem legatione Turcica v. G. Hirschfeld *Aus dem Orient* (*Verein für deutsche Litteratur* 1897) p. 48 ss.; H. Zimmerer *Durch Syrien* p. 8 s.; E. Oberhummer *Konstantinopel unter Sultan Suleiman d. Gr.* (1902) p. 1 s., ubi exhibetur effigies Busbeckii a. 1557 ligno incisa.

[2]) De libris manu scriptis a Busbeckio in legatione collectis cf. Lambecius I p. 75 ed. Kollar.; Moselius l. c. p. 27.

[3]) Cf. etiam excerpta ex itinerario Ioannis Dernschwamii, qui comes fuerat Busbeckii a. 1553—1555, edita ab H. Kiepert in ephemeride, cui inscriptum est *Globus*, LII (1887) p. 217. 233. V. praeterea Cohnium l. c. p. 303.

[4]) Cf. Petri Andreae Matthioli Senensis medici Commentarii in sex libros Pedacii Dioscoridis Anazarbei de medica materia (ed. Venet. 1565) in praef.: (*Augerius de Busbecke*) *duo Dioscoridis antiquissima exemplaria Constantinopoli secum tulit, quorum alterum Antonio Catecuzeno patritio Constantinopolitano, alterum cuidam Imperatoris Interpreti* (*Dragomanum Turcae vocant*) *mei tantum iuvandi causa, mutuo acceptos referebat.* De his libris, quorum lectiones a Matthiolo sub siglis *Cat.* et *Drag.* (sive *Dragom.*) proponuntur, cf. Sprengelii praefationem p. XIX. Excerpta quaedam ex codice Antonii Cantacuzeni servata sunt in Vindobonensi med. gr. 5 f. 9^r; cf. cap. XXXII

Inter codices praeterea bibliothecae Caesareae Vindobonensis, quos a Busbeckio Constantinopoli comparatos esse nominis ipsius inscriptio testatur, tres sunt, quibus libri materiae medicae Dioscuridis sive ex iis excerpta continentur: med. gr. 16 Ness. (Lamb. 35); 18 (11); 29 (26) [1].

Duplici igitur studio et codicum veterum colligendorum et rei medicae et herbariae promovendae virum illum litterarum amantissimum magnopere profecto exarsisse veri simile est, cum primum Constantinopoli apud quendam Iudaeum librum praeclarum Dioscuridis conspexerat. Attamen pretii, quod poscebatur, magnitudine deterritus non sine animi quadam aegritudine thesaurum dereliquit, alia ratione, ut adquireretur, consulturus. Sed operae pretium est ipsius Busbeckii verba ex epistula quarta de legatione Turcica, quam paulo post reditum *Francofordiae die 16 Decembris 1562* scripserat, integra hic adponere [2]:

Reporto item magnam farraginem veterum numismatum, quorum praecipuis donabo Dominum meum [3]. *Ad haec librorum Graecorum manuscriptorum tota plaustra, totas naves. Sunt credo libri haud multo infra 240, quos mari transmisi Venetias, ut inde Viennam deportentur. Nam Caesareae bibliothecae eos destinavi. Sunt aliquot non contemnendi, communes multi. Converri omnes angulos, ut quicquid restabat huiusmodi mercis tanquam novissimo spicilegio cogerem.*

Unum reliqui Constantinopoli decrepitae vetustatis, totum descriptum litera maiuscula, Dioscoridem, cum depictis plantarum figuris, in quo sunt paucula quaedam, ni fallor Crateuae, et libellus de avibus. Is est penes Iudaeum Hamonis,

n. VII. Falso autem Kollarius Suppl. I p. 383 codicem sive Cantacuzeni sive Dragomani suspicatur haud diversum esse a vetustissimo de quo agimus exemplari Dioscurideo.

[1]) Cf. Lambecium II p. 265—269 ed. Kollar.

[2]) V. Augerii Gislenii Busbequii d. legationis Turcicae epistolae quatuor (Francofurti 1595. 8°) p. 314. Locus citatur a Lambecio I p. 76 s.; II p. 125 s. ed. Kollar.; Nesselio p. 4; item a Moselio l. c. p. 28.

[3]) Id est Ferdinandum I imperatorem.

dum viveret Suleimanni medici filium, quem ego emptum cupivissem, sed me deterruit pretium. Nam centum ducatis indicabatur, summa Caesarei, non mei marsupii. Ego instare non desinam, donec Caesarem impulero, ut tam praeclarum auctorem ex illa servitute redimat. Est vetustatis iniuria pessime habitus, ita extrinsecus a vermibus corrosus [1], *ut in via repertum vix aliquis curet tollere.*

Neque tamen statim post reditum Busbeckio contigit, ut pretium constitutum sive Caesaris, ut in animo fuerat, liberalitate sive de sua pecunia expediret. Etenim anno 1565 codicem nondum in Occidente fuisse apparet ex silentio Petri Andreae Matthioli medici Caesarei, qui in commentariis ad Dioscuridem celeberrimis hoc anno denuo in volgus emissis duos quidem alios libros a Busbeckio sibi commodatos adfert (cf. supra adn. 5), hunc autem vetustissimum, ex cuius picturis maximam utilitatem capere poterat, omnino non memorat [2]. Porro annis 1566—1568 bellum gerebatur inter Maximilianum II Caesarem et Turcas, quo quidem nullum omnino commercium inter nostrarum partium homines et Muselmannos fuisse certu mest. Anno demum 1569 pace inter utrosque composita codicem Busbeckio auctore Vindobonam translatum esse mihi iam constat. Solus enim hic annus superest, quoniam proximo 1570 Busbeckius ex aula Caesarea in Hispaniam decessit.

Annus ille libri empti, quem priores in dubio reliquerunt, certissima ratione efficitur epistulis quibusdam, quas a. 1569 Carolus Clusius vir doctus de re herbaria summopere meritus et Ioannes Crato a Craftheim medicus Caesareus illi amicissimus, Vindobonae tum in aula con-

---

[1]) De tegumento ligneo, quod hodie etiam manet, quamvis a vermibus perforatum, haec Busbeckii verba intellegenda sunt.

[2]) Quominus hoc argumentum vehementius urgueamus, eo sane impedimur, quod Matthiolus inde ab anno fere 1562 non Vindobonae, sed Tridenti commorabatur. Cf. de Matthioli vita *Nouvelle biographie générale publiée par Didot* XXXIV p. 325 ss.; A. Hirsch *Biograph. Lexikon der hervorragendsten Ärzte* IV p. 167.

stitutus inter se miserunt [1]). Litteris prioribus [2]) datis *Machliniae XVI Aug. 1569* Clusius ex Cratone petit, ut lapillos quosdam rariores et tuliparum bulbos sibi procuraret, de quibus haec habet: *Non dubito, quin* [3]) *Dns. Augerius Bousbecke, qui aliquando apud Solymannum egit Caesareum Oratorem, eius ni fallor opera commode possent Constantinopoli advehi Tuliparum Dipcadique bulbi: id nisi tibi et illi molestum siet, velim apud eum cures.* Quas preces Clusii ad verbum exscripsi, ex quibus intellegatur Busbeckium etiam septem annis post, quam Constantinopolim reliquerat, cum huius urbis incolis necessitate quadam perpetuoque commercio coniunctum fuisse. In ea porro epistula, qua Crato Posonii tum degens d. *24 Septembris 1569* amico respondit, haec leguntur:

Tuliparum meminero cum ad D. Augerium Viennam rediero, licet sciam eum gravioribus rebus nunc occupari et difficulter in his sumptum facere. Nactus est nuper Dioscoridem manuscriptum cum picturis, quae magna ex parte magis fictae quam pictae videntur. Liber vetus est centum aureis nummis Pannonicis Constantinopoli emptus.

Ad haec iam respondet Clusius litteris datis *III nonas Decembres 1569, Antverpiae* [4]):

Lapillos per occasionem mittere poteris: nolo enim tibi molestus esse ea de re, quemadmodum nec de Tulipis, nisi nactus fueris commodam occasionem. Nimio sane mihi emptum

---

[1]) Extant duae Clusii epistulae una cum aliis ad Cratonem scriptis in bibliotheca publica civitatis Vratislaviensis; unde ediderunt L. Chr. Treviranus (Caroli Clusii, Atrebatis, et Conr. Gesneri, Tigurini, epistolae ineditae. Lipsiae 1830. 8°) et P. F. X. de Ram (Caroli Clusii Atrebatis ad Thomam Redigerum et Ioannem Cratonem epistolae, Bruxellis 1847, *Compte-rendu de la commission royale d'histoire,* ser. I t. XII). Cratonis vero litteras nondum editas in codice Vulcanii n. 101, qui Lugduni Batavorum in bibliotheca universitatis adservatur, invenit et officiosissime mecum communicavit Scato de Vries illius bibliothecae praefectus.

[2]) Ed. Trevirani p. 47 s. n. XXVI; ed. Ramii p. 61 n. XXXXI.

[3]) In eius quod sequitur enuntiati syntaxi errorem commisit Clusius.

[4]) Ed. Trevirani p. 48 s. n. XXVII; ed. Ramii p. 29 n. XXIII.

videtur a D. Augerio Dioscoridis exemplar, licet picturis sit illustratum: nam picturae huiusmodi nihil moror, quae parum ad plantarum cognitionem facere videntur.

Anno igitur 1569 Augerium de Busbecke desiderio illi codicis comparandi, quod tam diu foverat, satisfecisse certum videtur. Pretium vero, quod persolvit, idem fuit, quod ab illo in litteris a. 1562 indicatum erat, aurei scilicet sive *ducati* centum, qua de re Hugonis Blotii in relatione, quam mox citabimus, testimonium accedit. Sed num Busbeckio re vera contigerit, quod a. 1562 in votis fuerat, ut ipsum Caesarem ad pretium illud erogandum impelleret [1]), mihi quidem valde dubium est. Nam, quod imprimis tenendum est, et Crato et Clusius litteris illis a. 1569 haud obscure significant *emptum a D. Augerio Busbeckio Dioscoridis exemplar*, et Hugo Blotius, qui inde ab a. 1575 bibliothecarii Caesarei munere fungebatur, in relatione ad ipsum imperatorem Maximilianum II a. 1576 scripta memorat deperditum videri *Dioscoridem quendam vetustissimum, Constantinopoli, ni fallatur, ab Augerio a Busbecke 100 aureis emptum* (cf. infra p. 30 s.). Neque mirandum est, quod Maximilianus II vir alias de litterarum studiis imprimis meritus quique bibliothecae magna impensa augendae sedulam operam dabat, inter bella sumptuosa et rei publicae administrationem angustiis interdum pecuniae oppressus non ipse de codice tam ingenti pro illa aetate pretio comparando cogitaverit, sed eum bibliothecae Caesareae a Busbeckio offerri passus sit. Cui opinioni minime obstare videtur, quod Busbeckius solitam nominis sui adnotationem, quam codicibus a. 1562 a se bibliothecae inlatis inscripserat [2]), in Dioscuridis libro aliquot annis post empto et bibliothecae tradito omisit.

Codicis nostri, postquam libris Caesareis accessit, primus mentionem facit Hugo Blotius, qui a Maximiliano II inde a die XV Iunii a. 1575 bibliothecae illi praepositus erat. Is enim

---

[1]) Ea est opinio Lambecii II p. 127 ed. Kollar., Nesselii p. 4, Moselii p. 32, aliorum, quae tamen in sola illa epistula a. 1562 innititur.

[2]) *Augerius de Busbecke comparavit Constantinopoli.*

in relatione de bibliothecae statu die XXIV Aprilis a. 1576 imperatori oblata [1]) pretiosissimum exemplar Dioscuridis omnino latere acerbissime conquestus suspicatur furto illud esse sublatum. At liceat ipsa verba transscribere [2]):

Hoc tamen me adhuc plus aequo solicitum habet: Dioscoridem quendam vetustissimum, Constantinopoli, ni fallor, ab Augerio a Busbecke 100 aureis emptum in Bibliotheca hoc anno non fuisse inventum. Nam Sambucus illo se usum quidem esse [3]), *sed restituisse affirmat. Ego me illum numquam oculis aspexisse sancte iurare possum. Itidem Helfricus Guttius* [4]), *Wolfgangus Pudlerus, et Doctor Tannerus, qui mecum in Bibliotheca versati sunt, sibi illic eum librum visum esse negant. Si itaque neque in Bibliotheca neque in aula est, furto ablatus sit, necesse est.*

Sed interiecto brevissimo temporis spatio, postquam Blotius haec scripserat, codicem Dioscuridis in bibliotheca denuo comparuisse constat, sive is, qui eum commodaverat vel clam abstulerat, illius querelis ad ipsum Caesarem delatis commotus est, ut insignem hunc thesaurum redderet, sive Blotio ipsi diligentius inquirenti contigit, ut librum in latibulo aliquo absconditum investigaret. Nam in praefatione catalogi bibliothecae Caesareae anno 1576 a se compositi [5]) Blotius

---

[1]) Cuius relationis apographon extat in codice Vindobonensi 9038 f. 1—7 ita inscriptum: *Pro bibliotheca imperatoria Hugonis Blotii oratio, quae eadem libelli supplicis, omnia ad Bibliothecam necessaria exponentis, locum obtinere videri queat.* Ex ipsius vero Blotii exemplo iam, nisi fallor, deperdito edita est a Moselio l. c. p. 299 ss., ubi inscribitur: *Hugonis Blotii S. Caesareae Maiestatis bibliothecarii pro bibliotheca imperatoria oratio. Viennae* 24. *Aprilis* 1576. Cf. praeterea Lambecius I p. 84 ed. Kollar.; Moselius p. 37 cum adn. 1.

[2]) Cf. cod. 9038 f. 4^r s.; Moselii ed. p. 302.

[3]) De studiis a Sambuco in herbarium conlatis cf. infra cap. XXV.

[4]) De hoc officiali Caesareo (*Hofkammerrat*), cui iniunctum erat ab imperatore, ut bibliothecae libros Blotio traderet, cf. Moselium p. 34.

[5]) Pars catalogi prior, cui haec praefatio praemissa erat, iam deperdita videtur. Pars autem posterior servatur codice Vindobonensi 13525 ita inscripta: *Inventarii bibliothecae S. Caes. Maiestatis pars posterior,* continetque litteras M—Z. Verum Dioscuridis liber, cum pro deperdito haberetur, in partem priorem non videtur receptus esse.

indicat libros, qui vel manu scripti vel impressi die XXIV m. Aprilis a. 1576 in bibliotheca extarent, universos fuisse numero 7379. Iam vero tribus codicis nostri locis, foliis videlicet 1r, ubi lineis transversis deletum est, et 474r [1]) et in tegumenti posterioris parte interiore invenitur signum hoc: F F |7380|. Quod quidem signum ex Hugonis Blotii consuetudine scriptum numero cancellis incluso ab ipso codici inditum esse constat. Atque litteris FF significatur armarium sive *theca* [2]); numerus vero, qui sequitur, 7380 proxime excipit illum, quo Blotius in praefatione summam universorum librorum comprehenderat, 7379 [3]). Unde apparet codicem statim post diem XXIV Aprilis a. 1576 restitutum bibliothecae denuo quasi accessisse.

Ceterum ad eandem rem referenda sunt verba, quae extant in epistula Francisci Victorii Florentini Idibus Iuliis a. 1577 ad Hugonem Blotium data [4]). Qui de Petro Victorio avo suo, philologo doctissimo, qui et ipse materiam medicam Dioscuridis studiose tractaverat [5]), septuaginta tum novem annos nato haec scribit: [6])

---

1) Hoc loco Blotius signum repetivit eo consilio, ne quis ornithiacorum paraphrasim a reliquo codice vacua pagina (f. 473v) quasi segregatam subtrahere conaretur.

2) Thecae bibliothecae Caesareae, ut ex catalogo p. 33 adn. 5 citato constat, designatae erant litteris primum A–Z, deinde duplicatis Aa, Bb eqs. Ultima vero, quae in catalogi parte servata recensetur, theca litteris Ee denotata est; theca igitur Ff, in qua Dioscurides repositus erat, post catalogum demum absolutum impleri coepta est.

3) De Blotii signis conferas, quae exposuit Th. Gottlieb *Die Ambraser Handschriften. Beitrag zur Geschichte der Wiener Hofbibliothek* I (Lipsiae 1900) p. 120 s. Ubi p. 120 adn. 1 memoratur Blotium librum quendam Caesaris iussu die XXIV m. Maii a. 1576 in bibliothecam receptum sub signo Ff 7387 collocasse.

4) Invenitur in syllogae epistularum, quas diversi ad Hugonem Blotium miserant, tomo II (cod. Vindob. n. 9737. z. 15) f. 282r ss.

5) A Petro Victorio a. 1570 Sambuco missus est cod. Vindob. med. gr. 14 (Lamb. 7), qui materiae medicae librum I partemque libri II continet, cum lectionibus variantibus ab ipso Victorio margini adscriptis; cf. Lambecii Comment. VI p. 210 s. ed. Kollar.

6) L. c. f. 283r.

Laetatus autem magnopere est cum a me audivit vetustissimum, imperatoriaque suppellectile dignissimum Dioscoridis librum in bibliothecam Caesarianam redactum fuisse, teque etiam atque etiam rogat, ut summam diligentiam adhibeas in eo conservando. Ipse vero scire cupio, quo argumento indicioque patefactum sit illum annis ab hinc mille et trecentis scriptum fuisse; vix enim familiaribus meis persuadere possum quod ipse verum esse non dubito.

Proxima codicis mentio incidit in a. 1597. Iacobus enim Esprinchard *sieur du Plomb* vir nobilis Francogallus Rupellis oriundus in enarratione itineris, quo magnam Europae partem perlustraverat, narrat Vindobonae, ubi inde a die V usque ad IX m. Iunii a. 1597 commoratus erat, in bibliothecam Caesaream ab Hugone Blotio introductum inter praecipuos thesauros se vidisse exemplar Dioscuridis ante annos mille trecentos exaratum [1]). Sed iuvat ipsum Esprinchardium audire [2]):

Hugo Blotius me montra la Bibliotèque de l'Empereur, pour aller en laquelle il fault de son Logis passer à travers la magnifique maison des Barons d'Austriche où ils s'assemblent quand ils tiennent les Estats.

Ceste bibliotèque est en une grande sale de l'église S. Croix. Entre plusieurs livres de toutes sortes, magnifiquement reliés, (qui sont au nombre de sept mille sept cent soixante-cinq, et i en a pour cinquante mille florins d'Allemagne), je veis un Dioscoride manuscript de 1300 ans. Item un fort vieil nouveau testament qui commence par l'Evangile de S. Iehan [3]).

---

[1]) Esprinchardii de Dioscuride Vindobonensi testimonium ex itinerario eius iam citaverat Paulus Colomesius Opuscul. (Parisiis 1668. 12°) p. 108. Extat hoc itinerarium manu scriptum in codice bibliothecae municipii Rupellensis (*bibliothèque de la ville de La Rochelle*) n. 4 (olim 654); de quo v. *Catalogue général des manuscrits des bibliothèques publiques de la France, Départements*, VIII (*La Rochelle par G. Musset*) p. 2.

[2]) Cuius de bibliotheca Vindobonensi verba Georgius Musset, qui bibliothecae Rupellensi praeest, litteris rogatus officiosissime nobiscum communicavit ex codicis citati f. 43ᵛ, 44ʳ.

[3]) Sequuntur nonnulla de codicibus Busbeckianis et Corvinianis ibidem adservatis.

Catalogo librorum manu scriptorum graecorum, quae in bibliotheca Caesarea adservabantur, a Lambecio a. 1665 ss. edito, a quo maiore ex parte Nesselii pendet eorundem descriptio [1]), inde a fine saeculi XVII codex Dioscurideus satis late inter viros doctos innotuit et inclaruit. Sed novum quoddam honoris incrementum libro celeberrimo aliquamdiu accedebat, ex quo P. Lambecius in Aniciae Iulianae usum eum confectum esse ostenderat. Habsburgicae enim gentis originem ad comites Aventinos familiae Aniciae Perleoniae referendam esse multi inde a fine saeculi XV viri docti genealogiarum scrutatores, quibuscum ipse consentit Lambecius, persuasum habebant. Qua de re ipsius Lambecii verba [2]) proponere liceat: *Facere non possum, quin hac occasione obiter indicem, adservari etiam nunc in Augustissima Bibliotheca Caesarea Vindobonensi rarissimum quoddam et vere Caesareum antiquissimae potentissimaeque gentis Aniciae monumentum, nempe codicem Dioscoridis, iam memoratae Iulianae Aniciae auspicio et liberalitate... exaratum,... qui... singulari quadam providentiae divinae cura tanquam haereditario iure in Augustissimae Domus Habsburgo-Austriacae potestatem rediit, ut nempe ipsa coram intueri et manu prehendere posset, quanta maiorum suorum, videlicet Aniciorum, potentia et dignitas fuerit.* Sed saeculo XVIII hanc Lambecii opinionem, quae tum a viris historiae peritis prorsus abiecta erat, acerbissime castigavit Adamus Franciscus Kollarius [3]).

At haec de externa ut ita dicam codicis historia iam sufficiant. Nam studia philologa, medica, botanica a viris doctis in hoc venerandae vetustatis monumentum conlata ab hoc loco aliena in singulis partibus enarrandis copiosius tractare in animo est.

---

[1]) Cf. p. 8 adn. 2.

[2]) Comment. ed. prioris II p. 489; in altera editione a Kollario curata omissa reperiuntur in sylloge, cui inscriptum est Analecta monumentorum omnis aevi Vindobonensia opera et studio A. F. Kollarii, I (1761) p. 783 ss.

[3]) Comment. II p. 120 s. adn. B; VI p. 203 s. adn. A.

Appendicis instar nonnulla addere placet de signis diversis sive, ut bibliothecariorum sermone utar, signaturis, quibus codex noster in bibliotheca Caesarea instructus sit. Antiquissimum igitur signum illud est, de quo supra (p. 34) fusius disputavimus, F F |7380|, inditum a. 1576 ab Hugone Blotio, qui in libris collocandis et recensendis manu scriptos ab impressis nondum seiunxerat.

Porro is qui post Blotium bibliothecarii Caesarei munere fungebatur a. 1608—1636, Sebastianus Tengnagelius codices graecos ab reliquis segregatos in quinque series digessit, ita ut theologicos, iuridicos, medicos, philologos, historicos distingueret. Quam ordinandi rationem Lambecius postea et Nesselius servaverunt, quamquam uterque intra series illas numeros vetustos immutavit librosque nove adquisitos inseruit. Folio igitur 1ʳ Tengnagelii manu aliunde satis nota inscriptum est signum hoc *Nº. 3*, quod postea lineis transversis expunctum est; insuper nonnulla erasa sunt. Integra vero nota sine dubio haec fuerat: *Cod. ms. med. gr. Nº. 3.* Deinde in fragmento indicis librorum manu scriptorum graecorum ab ipso Tengnagelio conscripti, quod inter codices Vindobonenses sub n. 9479 adservatur, in *medicorum* ordine f. 26ʳ codex de quo agimus his verbis recensetur: *Nº. 3. Dioscoridis Opera Literis quadratis antiquissimis conscripta. fol. Nº. 3* [1]).

Is numerus mansit usque ad tempora Lambecii, qui et ipse a. 1665 et 1669 memorat Dioscuridis librum inter medicos graecos obtinere locum tertium [2]). Sed paulo post ab eodem numerus vetustus mutatus est. In ipso enim codice f. 1ʳ a Lambecii manu exarata haec leguntur: *Cod. Ms. Med. Graec. N. 5*; quae aucta iterantur f. 2ʳ: *Augustissimae Bibliothecae | Caesareae Vindobonensis Codex manuscriptus | Medicus Graecus N. 5.* Quibuscum convenit, quod Lambecius in Com-

---

[1]) Alterum apographon huius partis catalogi Tengnageliani extat in codice 12594, ubi f. 95ʳ exemplar Dioscuridis eisdem fere verbis describitur.

[2]) Comment. I p. 37; II p. 520; VI p. 90 adn. 1 ed. prioris; I p. 79; II p. 127; VI p. 202 adn. 2 ed. Kollar.

mentariorum vol. VI a. 1674 edito herbario Dioscuridis inter medicos graecos quintum locum adsignavit [1]).

Seriem a Lambecio constitutam denuo mutavit Daniel de Nessel, cuius in Catalogum manu scriptorum graecorum editum a. 1690 partis III p. 3 codex Dioscuridis receptus est cum hoc signo *Medicus graecus 1*. Quae quidem catalogi Nesseliani designatio, quamquam in ipso codice nullibi adnotata est, in libris manu scriptis graecis collocandis etiamnunc retinetur.

CAPUT IV. DE MEMBRANARUM SPECIE.

Membranae, quibus codex Dioscurideus componitur, hodie altae sunt centimetra fere 38, latae centimetra circiter 33. Sed cum margines posteriore aevo bibliopegi cultro undique recisae sint [2]), constat libri formam olim aliquanto maiorem fuisse, ita ut pristina altitudo pedem Romanum unum et dimidium, latitudo pedem unum et sextantem efficeret [3]).

Sunt autem huius libri membranae non omnes aequaliter crassae. Nam cum maxima earum pars solitae sit crassitudinis rigorisque consueti, in fine praesertim voluminis ceteris

---

[1]) P. 90 ed. prior.; p. 202 ed. Kollar.

[2]) Quod imprimis apparet in adnotationibus minutis, quas infra (cap. VII) tractabimus, atque eis in partibus, quae carmen de viribus herbarum et ornithiacorum paraphrasim continent, ubi scholia in margine exteriore adiecta in versuum fine mutila sunt (cf. cap. XXVI. XXX).

[3]) Membranarum mensuras pedibus expressas esse docemur edicto Diocletiani de pretiis rerum venalium 7, 38 (p. 22. 112 ed. a Mommseno et Bluemnero curatae Berolini 1893): *membranario in [qua]te[rni]one pedali pergamen(ae) (denarios XL)*. De vetustissimorum codicum forma fere quadrata, quae etiam in nostro agnoscitur, v. Ch. G. Schwarz De ornamentis librorum et varia rei librariae veterum suppellectili (Lipsiae 1756) p. 162 s. Multas autem librorum et antiquiorum et recentiorum mensuras indicat C. R. Gregory in operis, cui inscripsit *Textkritik des neuen Testamentes*, vol. I. Inter quos celeberrimus ille Sinaiticus saeculi fere IV exeuntis, qui altus est cent. 37.5, latus cent. 33.5, eiusdem prorsus moduli est atque codex Dioscurideus; cf. V. Gardthausen Catalogi cod. mss. bibl. univ. Lipsiensis III p. 1.

intermixta haud pauca extant folia molliora et adeo exilia [1]), ut interdum atramento acido transmisso obscurata vel omnino exesa sint [2]). Foramina vero, quae nonnullis locis [3]) antiquitus hiabant, parvis pelliculis pellucidis superimpositis et glutine compactis ita sarciri solebant [4]), ut vel picturam scripturamque recipere possent.

Color vero membranis, quae sine dubio a librariis novaculis et pumicibus bene perpolitae sunt, plerisque est albus, perraro sordibus obfuscatus, nisi quod eae paginae, in quibus pelles ovinae villis aliquando vestitae fuerant, saepius colorem flavescentem prae se ferunt; id quod remediis ad villos extirpandos adhibitis effectum videtur.

Atque membranarum latus in animalis pelle carni quondam obversum accuratius intuentibus haud difficile distinguitur ab eo latere, quod villis olim tectum erat. Illud enim in universum magis album et glabrum rugas quasdam exiguas exhibet, hoc autem saepe flavescens in marginibus praesertim vestigia papillarum fuscorum instar punctorum servare solet [5]). Deinde iam hic notandum est lineas ad versus rectius exarandos stilo ferreo impressas in toto codice in una tantum cuiusvis folii pagina derectas esse, in ea videlicet, quae carni olim obiecta fuerat; qua observatione in re incerta haud raro adiuvamur, quo facilius in singulis foliis latera illa duo discernamus. Minutam autem hac in re diligentiam et subtilitatem in contextu tot foliorum interitu mutilato restituendo non sine quadam utilitate esse infra (p. 43) apparebit.

---

[1]) *Τὴν τῶν ὑμένων λεπτότητα* a librorum studiosis magni aestimatam esse ex Ioannis Chrysostomi testimonio colligitur citato ab Wattenbachio *Das Schriftwesen im Mittelalter* ed. tert. p. 114 s.

[2]) Cf. quae infra (cap. XXVII. XXVIII) in paraphrasibus theriacorum et alexipharmacorum tractandis disputabuntur.

[3]) Veluti f. 236. 262; cf. f. 88. 242.

[4]) Cf. Wattenbach l. c. p. 213 s.

[5]) De his differentiis cf. Wattenbach l. c. p. 116 s.

CAPUT V. DE MEMBRANARUM COMPAGIBUS.

Sed haec cum sufficiant de singularum membranarum proprietate, iam quaestio instituenda est de compagibus sive fasciculis, qui compluribus membranis inter se coniunctis et filis consutis efficiuntur. Et primum quidem de numero foliorum, quae his in compagibus inveniantur, paucis agendum est. Codices igitur ex chartis vel membranis confecti [1]) longe plurimi ita comparati sunt, ut singuli unam tantum chartarum vel membranarum plicandarum rationem exhibeant, verbi causa solis aut binionibus aut ternionibus aut quaternionibus compositi. In libro autem nostro memorabile est diversos fasciculos diversum foliorum numerum continere, ita ut omnia genera, quae inter binionem et compagem foliorum sedecim posita sunt, in membranarum contextu reperiantur, quaterniones autem cetera numero longe superent. Atque idem fere in antiquissimo et celeberrimo Pandectarum codice Florentino saeculo VI vel VII conscripto iam dudum observatum est; cuius compages denis saepe et octonis membranis, quaternis nonnumquam et senis, prout librorum divisio patiebatur, concinnatae sunt [2]).

Quinta huius praefationis parte in codicis conspectu diligentius expositiri, quot foliis singulae compages constent sive, antequam membranarum interitu laesae sint, olim constiterint, hoc loco satis habuimus brevi quadam tabula fasciculos eis, quibus nunc instructi sunt, notis designatos et secundum foliorum numerum distributos subicere. Qua in re eos quidem, in quibus integer foliorum numerus iam non

---

[1]) De antiquissimis codicibus, qui ex chartarum vel membranarum fasciculis, imprimis quaternionibus, constant, cf. Ch. G. Schwarz l. c. p. 155 ss.; Wattenbach l. c. p. 176 ss.; G. A. Gerhard *Neue Heidelberger Jahrbücher* XII (1903) p. 150. p. 176 adn. 64. Vide etiam, quae infra cap. VI (p. 44 adn. 1) indicabimus.

[2]) Cf. Schwarz l. c. p. 159. Prodiit huius monumenti editio photographica, cui inscriptum est Iustiniani Aug. Digestorum seu Pandectarum codex Florentinus olim Pisanus phototypice expressus, Romae 1902 s.

extat, sed certis quibusdam argumentis a nobis definitus est, asterisco * praemisso notavimus.

Insunt igitur in codice Dioscurideo compages non numeratae duae, numeratae sexaginta quinque, in summa compages sexaginta septem, quibus folia vetusta olim 546, hodie 481 continentur (cf. infra cap. VIII). In his autem inveniuntur:

1) fasciculi diplomatum binorum sive foliorum quaternorum tres:
compages non numerata f. 8—11; fasc. *IΔ*, *ΞB;

2) fasciculi diplomatum ternorum (foliorum senorum) sive terniones quinque:
compages non numerata f. 2—7; fasc. *ΛΔ, *N, *NΔ*, *ΞE;

3) fasciculi diplomatum quaternorum (foliorum octonorum) sive quaterniones vel τετράδες quinquaginta:
A, B, Γ, Δ, *Z, *H, *Θ, *I, IB, IΔ, IE, IZ, IH*, *IΘ, *K, KA, KB, KΓ, KΔ*, *KE, *KS, *KZ, *KH*, *KΘ, *Λ, *ΛA, *ΛB*, *ΛΓ, *ΛE, *ΛS*, *ΛZ, *ΛΘ, M*, *MA, *MΓ*, *MΔ, *ME*, *MH, *MΘ, *NA*, *NB, *NΓ, NE, NS, NZ, NH, NΘ, ΞA*, *ΞΓ, *ΞΔ;

4) fasciculi diplomatum quinorum (foliorum denorum) sive πεντάδες quinque:
*E, *S, IS*, *ΛH, *MB;

5) fasciculi diplomatum senorum (foliorum duodenorum) sive sexterni duo:
*IΓ, *MS;

6) fasciculi diplomatum septem (foliorum quattuordecim) unus, sed dubius:
*Ξ;

7) fasciculus diplomatum octo (foliorum sedecim) unus:
MZ.

In singulis foliis duo membranarum latera, alterum carni quondam obiectum, alterum villis vestitum, et colore et lineis in carnis tantum latere impressis dignosci posse supra (cap. IV) memoravimus. Quam rem si per codicis contextum persequimur, iam perspicitur pelles in membranarum formam

redactas, sed nondum dissectas [1]) in compagibus foliorum conficiendis certa quadam ratione ita complicari solitas esse, ut binae paginae carni olim obversae et binae villis aliquando tectae per vices alternantes concurrant [2]). Maximam autem fasciculorum partem carnis latere et incipere et desinere observamus, ut adeo pauci sint, qui contrariam consecutionem praebeant. Iam si latus carnis c littera, villorum v littera exprimimus, duo illa schemata principalia, qualia in duobus codicis nostri quaternionibus oculis offeruntur, ita repraesentari possunt:

Quaternio numero *IE* signatus continet folia 118—125:

folium	rectum	versum
118	c	v
119	v	c
120	c	v
121	v	c
122	c	v
123	v	c
124	c	v
125	v	c [3])

Quaternio numero *A* signatus continet folia 12—19:

folium	rectum	versum
12	v	c
13	c	v
14	v	c
15	c	v
16	v	c
17	c	v
18	v	c
19	c	v

Neque tamen in libro nostro desunt foliorum compages, quae ab illa norma recedant. Quas quidem maxime probabile

---

[1]) Mihi quidem veri simillimum videtur ad componendos singulos quaterniones, quod in codice nostro frequentissimum fasciculorum genus est, binas plerumque pelles ovinas, quae in quaternas partes replicarentur, consumptas esse.

[2]) Quam rem in aliis codicibus graecis, veluti in celeberrimo illo Sinaitico, iam dudum observaverant viri docti; cf. C. R. Gregory *Litterarisches Centralblatt* 1880 p. 1410; idem *Comptes rendus de l'académie des inscriptions* ser. IV t. XIII (1885) p. 261—268; C. Dziatzko *Centralblatt für Bibliothekswesen* 1892 p. 342; Guil. Wattenbach *Schriftwesen* ed. tert. p. 117 s.; 215 cum adn. 3.

[3]) Idem, quod videam, schema in quaternionibus hodie valde turbatis codicis Dioscuridei saeculo VII confecti, qui Neapolitanus vocatur, (Vindobonensis suppl. gr. 28) constanter olim observatum erat; cf. ex. gr. quaternionem *IΘ*, quo f. 130—137 comprehenduntur.

est ita confectas esse, ut v. c. non binae pelles integrae quater plicatae, sed diversarum pellium particulae unum in quaternionem redigerentur. Veluti membranas interdum in has formas compositas invenimus:

Quaternio *IB* continet folia 94—101:

folium	rectum	versum
94	c	v
95	c	v
96	c	v
97	c	v
98	v	c
99	v	c
100	v	c
101	v	c

Quaternio *I* continet folia 82—89:

folium	rectum	versum
82	v	c
83	v	c
84	v	c
85	v	c
86	c	v
87	c	v
88	c	v
89	c	v

Neque tacendum est formas illas simplices, quas enarravimus, nonnumquam inter se coniunctas extare, ut verbi causa altera fasciculi pars ad quaternionis *IE*, altera ad quaternionis *IB* exemplum conformata sit [1]).

Membranarum hanc ordinationem totum per codicem diligenter perscrutati plurimum inde subsidii nacti sumus in lacunis investigandis et pristino contextu, quem in partis quintae conspectu legentibus proponemus, restituendo. Cui conspectui tabula adiecta erit, ex qua, quomodo latera illa carnis et villorum in singulis foliorum fasciculis sese excipiant, exactius etiam compareat meliusque de huius rei utilitate iudicari possit.

CAPUT VI. DE VETUSTA COMPAGIUM NUMERATIONE.

Vetusta compagium numeratio, cuius in codice Iulianae nonnulla supersunt vestigia, sine dubio digna est, quae accu-

---

[1]) Vide, quae infra in conspectu de fasciculis exposita sunt.

ratius consideretur [1]). Atque duo quidem fasciculi, qui f. 2—11 picturas illas celeberrimas et herbarii Dioscuridei titulos duos et indicem vetustum continent, in libri exordio extra numerorum seriem collocati sunt. Incipiebant autem numeri in ipsius herbarii initio, id est inde a folio 12^r, in prima cuiusque fasciculi pagina ad angulum sinistrum inferiorem inscripti. Quae quidem notae antiquae eadem haud dubie ratione procedebant atque illae, quas anno 1406 Ioannes Chortasmenus in libro denuo reparando et compingendo adscripsit (cf. cap. X). Qua tamen numerorum instauratione factum esse videtur, ut vetusti maximam partem eraderentur sive detergerentur. Manent tamen veteris scripturae vestigia, quibus plerumque numeri saeculi XV adiecti sunt, his fere locis:

F. 20^r ‴$\overline{\underline{B}}$·   f. 28^r ‴$\overline{\underline{\Gamma}}$·   f. 36^r $\overline{\Delta}$ [2])

f. 118^r $\overline{\underline{IE}}$ f. 126^r $\overline{\underline{I\text{Ϛ}}}$ f. 136^r ·$\overline{\underline{I\cdot Z}}$

Qui quidem numeri similiter conformati et lineolis punctisque ornati sunt atque illi, quos in carmine de viribus herbarum (f. 388^r—392^v) capitibus praefixos videmus.

Sed cum his in compagibus notae antiquae et recentes optime inter se conveniant, eo loco, in quo ultimum vetustae numerationis indicium comparet, folio videlicet 271^r, extat

---

[1]) Liceat hac in adnotatione pauca eius generis exempla antiquissima, quae mihi praesto sunt, congerere. Atque primum quidem libri celeberrimi Sinaitici saeculo IV, ut vulgo existimant, scripti quaterniones singuli in paginae primae angulo superiore dextro numeris instructi sunt; cf. V. Gardthausen Catalogi codicum manu scriptorum bibl. universitatis Lipsiensis III p. 1. Porro codex memorabilis inter Raineri archiducis papyros servatus, qui corpus carminum Hesiodi continebat, componitur chartis in binas partes plicatis, quarum paginae in margine inferiore vel superiore litteris signatae sunt in hunc modum procedentibus: A, A_A, A_B, A_Γ; v. C. Wessely *Studien zur Palaeographie und Papyruskunde* I (1901) p. III ss. Contra codicis herbarii Dioscuridei, qui Neapolitanus vocatur, (Vindobonensis suppl. gr. 28) quaterniones in imae paginae ultimae angulo dextro numeris hodie plerumque deletis notati erant. V. praeterea Wattenbach *Schriftwesen* ed. tert. p. 179.

[2]) Latet numerus vetustus sub membranae lacinia adglutinata.

inscriptio *ΚΔ*, cuius a dextra adicitur numerus novicius *ΛS*. Iam vero ex contextu constat fasciculum hunc eum, quo nunc positus est, locum, id est trigesimum sextum, qui recente illo numero indicatur, optimo iure tenere. Folio enim 270ᵛ, quae pagina ultima est fasciculi *ΛΕ*, describitur πήγανον ἄγριον ὁμοίως, cuius imago datur f. 271ʳ; item ultima fasciculi *ΛS* pagina (f. 278ᵛ) περικλύμενον enarratur, quam descriptionem, si folium 279 non suo loco insertum seponimus, folio 280ʳ, id est in prima pagina fasciculi *ΛΖ*, figura eiusdem periclymeni sequitur.

Quae cum ita sint, mira haec numerorum vetusti et novicii diversitas duplici modo explicari potest. Primum enim coniecerit quispiam fasciculum illum, qui nunc recte locum *ΛS* obtinet, neglegentia eius, qui codicem nove confectum ordinavit, falso numero *ΚΔ* insignitum et pro vicesimo quarto interpositum fuisse, quem errorem is, qui librum anno 1406 instauravit, correxerit. Magis vero mea quidem sententia probabitur altera huius quaestionis solvendae ratio. Crediderim enim ingentem illam membranarum molem, quae hodie uno tegumento anno 1406 confecto continetur, anno fere 512, quo tempore Aniciae Iulianae oblata est, in tomos complures minoris ambitus distributam fuisse. Atque in primo quidem tomo praeter compages duas non numeratas (f. 2—11) infuisse videntur fasciculi numeris *Α*, *Β*, *Γ* usque ad *ΙΒ* instructi, id est herbarii Dioscuridei folia fere centum priora [1]). Quae quidem separato corpusculo comprehensa fuisse inde quoque colligere licet, quod excerpta Crateuaea et Galeniana in hac tantum parte inde a f. 6ʳ—94ᵛ herbarum descriptionibus addita sunt, in eis autem, quae sequuntur, omnino deficiunt. Accedit, quod huius partis imagines eae, quas ad antiquiorum herbarum syllogen pertinere infra demonstrabimus, reliquis, et artificio et elegantia longe praestant (v. cap. XXIII).

Secundo deinde tomo veri simile est comprehensas fuisse membranas inde fere a fasciculi *ΙΓ* initio (f. 102) usque ad

---

[1]) Foliis hodie numeris 12—101 notatis addenda sunt membranae septem deperditae, detrahendum folium unum 69, quod huc non pertinet.

finem fasciculi *ΔS* (f. 278) vel etiam ulterius. Quos quidem duplici numero denotatos fuisse existimaverim, quorum altero indicaretur sedes, quam singuli in toto opere obtinerent, altero locus, qui iisdem in secundo volumine adsignatus esset. Fasciculo igitur huius sectionis primo, cuius membrana prima post f. 101 periit, suspicor antiquitus duos numeros *IΔ* et *Δ* inscriptos fuisse, fasciculo, qui est inde a f. 118, non solum *IE*, quod etiam nunc reliquum esse modo diximus, sed etiam paulo superius notam *Γ*, quae iam deleta est. Similiter res se habuisse videtur in compagibus *IS* (*Δ*), *IZ* (*E*), ceteris. Fasciculum denique, qui est inde a f. 271^r, eadem ratione numero duplici *ΔS* et *KΔ* instructum fuisse puto, ex quibus solus minor ille *KΔ* ad tomi ordinationem pertinens intactus supersit, alter vero *ΔS* manu saeculi XV instauratus sit. Hunc autem tomum tertius fortasse et quartus exceperunt.

Sed facile concedo ne hac quidem explicatione, quamvis multis argumentis commendetur, omnes difficultates removeri. Quae si vera est, sane mirum videtur finem tomi primi et secundi initium non in litterae alicuius exitum, sed in mediam seriem *Δ* ita incidisse, ut δελφινίου ἑτέρου figura f. 101^v exhibita ad primum, eiusdem herbae descriptio in prima fasciculi *IΓ* pagina iam deperdita collocata ad secundum tomum pertinuerit.

CAPUT VII. DE VERSIBUS, SCRIPTURA, TEGUMENTO ANTIQUIS.

Pauca iam habeo, quae de scripturae v e r s i b u s adiciam. Qui quo rectius exararentur, per totum codicem lineae, quae ad utrumque latus aliis binis concluduntur, circino accurate distributae [1]) discriptaeque et stilo ferreo impressae sunt; quibus in herbario Dioscurideo ad synonyma duabus columnis conscribenda binae lineae accedunt per media folia ad perpendiculum derectae. Hae quidem omnes per unam tantum cuiusvis folii paginam, eam videlicet, quae in animalis pelle carni olim obversa fuerat, ductae sunt (cf. cap. IV. V) atque,

---

[1]) Puncta circini acumine effecta per totum codicem passim reperiuntur.

dum hac in parte depressae cernuntur, in aversa, qua membrana aliquando villis tecta fuerat, eminentes apparent, ita ut binis simul paginis inserviant. Qua in re nihil refert, quod in carnis lateribus non semper textus inscriptus est, sed saepissime figurae pictae herbarii Dioscuridei in his ipsis collocantur. Porro et paginae in herbario praesertim frequentes, quae non totae perscriptae sunt, nihilo secius lineis stilo ductis explentur. Unde colligitur membranarum compages, antequam librarii textus et figurarum spatia distribuerent, ratione semper sibi constante lineis instructas esse. Attamen observandum est nonnullas paginas, quae illis quas diximus lineis iam praeditae erant, ut textum solito ampliorem recipere possent, sive totas sive in ima parte novis iterum lineis magis coartatis expletas esse [1]). His minora quaedam spatia accedunt, in quibus fragmenta Crateuae et Galeni atque scholia carminis de viribus herbarum extant, quae omnia in ipso scribendi negotio lineis artioribus distincta esse facile agnoscitur.

Singula vero folia habent versus tricenos ternos sive quaternos vel quinos, ita ut ternae paginae totae perscriptae centenos fere versus contineant, qua re rationes de librariorum mercedibus instituendae faciliores interdum redditae sunt [2]). Versus autem singuli centimetra fere 22 longi capiunt litteras plus minus triginta quinque, quem quidem ambitum in libris veterum praesertim chartaceis usu receptum fuisse Birtii [3]) aliorumque disquisitionibus iam dudum stabilitum est. Margines vero, quae undique vacuae relictae sunt, superior et inferior hodie centimetrorum 3.5—6 esse solent, interior cent. 2—3.5, exterior 6—7; quas tamen interiore excepta, cum anno 1406 bibliopegi cultro recisae sint, olim aliquanto latiores fuisse constat.

Sed ne in hac materia enarranda nimius fiam, hoc unum

---

[1]) Cf. v. c. f. 96r. 115r. 139v. 175r. 265v. 269v. 280v. 298r. 299v.

[2]) Cf. edictum Diocletiani de pretiis rerum venalium 7, 39 ss., ubi scriptor *in scriptura optima versuum n(umero) centum* denarios tot accipere dicitur; quo de loco v. Th. Birt *Das antike Buchwesen* p. 208 s.

[3]) Cf. Th. Birt *Das antike Buchwesen* p. 197 ss.

adiungam eos, qui codicem confecerunt, ut par erat in libro tam pretioso et magnifico, membranis minime pepercisse et omnia amplis intervallis interiectis scripsisse. Id quod vel maxime manifestum est in herbario Dioscurideo, ubi, si pauca excipimus, singulis figuris singulae paginae adsignatae sunt itemque textus capita ita perscribi solent, ut a summa pagina nova incipiant et, sive ampliora sunt sive breviora, unam minimum paginam obtineant [1]. Adde diversa opuscula in appendicem recepta omnia paginis vacuis interpositis inter se disiungi; singulos vero libros in novis paginis rectis incipere solere. Sed alia eius generis in codicis partibus recensendis attingere praestabit.

In conscribendo libro atramentum nigrum sive potius fuscum adhibitum est; litterae vero indicis, qui f. 8^r—10^v legitur, principales et tituli descriptionibus herbarum atque figuris herbarum et animalium adiecti, item subscriptio f. 459^v servata et capitum initia in opusculis herbario adnexis et alia quaedam, quae suis locis accuratius indicabuntur, minio picta sunt. Praeterea in titulo herbarii, qui f. 10^v—11^r extat, et in indice capitum paraphraseos alexipharmacorum (f. 438^v) versus rubri alternantur cum nigris. Albo autem colore nomina in picturis f. 4^v, 5^v, 6^v et acrostichon, de quo egimus, f. 6^v inscripta sunt; his accedunt litterae chrysographae, quibus f. 6^v Iulianae nomen, f. 7^v titulus herbarii exprimitur. Sed hic nobis quidem iam subsistendum est; de codicis enim re palaeographica [2]) Carolus Wessely speciali examine instituto infra copiosius disputabit.

---

[1]) Herbarium Dioscurideum, quod in codice nostro quadringenta fere folia utrimque scriptura vel pictura praedita explet, in exemplari Neapolitano saeculo VII scripto membranis 172 comprehenditur, quae tertia parte minores sunt et in latere verso vacare solent. V. praeterea cap. XV.

[2]) Liceat hoc iam loco eos scriptores breviter componere, qui ad hoc usque tempus de codicis re palaeographica adiectis plerumque scripturae speciminibus disputaverint. Sunt hi fere: P. Lambecius Comment. ed. Kollar. II p. 127 s. 259, cum tab. p. 253 adiecta; quam repetivit Nesselius Catalog. III tab. I littera notata; B. Montfauconius Palaeogr. gr. p. 195 s.; C. Weigel in Baldingeri ephemeride *Medicinisches und Physisches Journal* VIII (1793),

Hoc vero loco, quia operarum in codice conficiendo partitionem inde discimus, memorandae sunt adnotationes quaedam, quae in solo herbario reperiuntur, litteris fugientibus saeculi VI, uncialibus quidem, sed quae ad cursivum quod vocatur scripturae genus propius accedant, neglegenter inscriptae eo sine dubio consilio, ut rursus delerentur. Ex his eae, quae in marginibus superioribus paginarum collocatae erant, aut totae aut ex parte bibliopegi scalpro recisae sunt. Eiusmodi adnotationes invenimus has, in quibus transscribendis spiritus et accentus de nostro addidimus:

a) in paginis, quae figuras continent:

F. 35ᵛ in margine superiore ad angulum laevum:

[ὅ] τι αὐτῆς (scilicet herbae) ἡ δύναμις, οὐκ ἐγράφη,

qua in re observandum est ἁλικάκκαβον, qui hac in pagina pictus repraesentatur, f. 36ʳ descriptum eiusque δύναμιν indicatam esse.

F. 44ᵛ eodem loco:

[ἀψίνθιον] θαλάσσιον.

F. 45ᵛ ibidem: [ἀμμωνιακ]ή.

F. 46ᵛ ibidem: [ἄλυσ]ον.

F. 47ᵛ ibidem: [ἀσκλη]πιάς [1]).

F. 64ᵛ ibidem: [ἀστράγ]αλος.

F ibidem: 67ᵛ. [ἀκόνιτ]ον ἕτερον.

29.—32. *Stück* p. 8 s.; Pertz *Archiv der Gesellschaft für ältere deutsche Geschichtkunde* IV (1822) p. 521 n. 1 et tabulae adiectae n. I; Ch. G. Schwarz De ornamentis librorum (Lipsiae 1756) p. 31; M. Silvestre *Paléographie universelle* II (1841) n. 9; idem *Universal Palaeography* (*translated by F. Madden*) textus vol. I (1850) p. 164 ss. cum tab. LXII; V. Gardthausen *Griechische Palaeographie* (1879) p. 150 ss. 272; E. A. Bond et E. M. Thompson *The Palaeographical Society. Facsimiles of ancient manuscripts* tab. 177 addito textu uberrimo; E. M. Thompson *Handbook of Greek and Latin palaeography* (1893) p. 73. 152 s. cum specimine; Guil. Wattenbach *Anleitung zur griech. Palaeographie* edit. tert. p. 34.

[1]) Saeculi XV librarius inter f. 47 et 48 membranas excidisse ignorans huic figurae perperam adscripsit ἀνθυλλίς; sed conlato codice Neapolitano (f. 18ʳ) apparet ἀσκληπιάδα repraesentari.

F. 91^{v} ibidem: γλυκύριζον.
F. 108^{v} ibidem: ἐλεοσέλινον.
F. 121^{r} in parte inferiore ad laevam:
[ἐλ]ελή[σ]φ[α]κον (prope evanidum).
F. 122^{r} ibidem: ἐλαφόβοσκον (prope evanidum).
F. 124^{r} ibidem: ζωόνυχον.
F. 125^{r} ibidem: ζμίλα[ξ].
F. 144^{v} ibidem: γράφε.
F. 148^{v} in margine superiore ad angulum laevum: [ἴον πορφυ]ροῦν.
F. 161^{v} ibidem: [ἰσάτις ἀ]γρία (evanidum).
F. 164^{v} ibidem: κυκλάμινος.
F. 170^{v} ibidem: [κρότω]ν ἢ κίκι.
F. 215^{v} ibidem: [λιμών]ιον.
F. 216^{v} ibidem: [λιχὴν] ὁ ἐπὶ τῶν πετρῶν.
F. 243^{r} sub figura ad laevam: ξάνθιον (prope evanidum).
F. 379^{v} in margine superiore ad laevam: [χαμαιδά]φνη.

b) in paginis, in quibus textus scriptus est:
F. 148^{r} in margine superiore ad angulum dextrum: δύναμις [ἴριδος].
F. 161^{r} ibidem:
δύναμ(ις) (hic et aliis locis scriptum δυναμ^ς) ἰσά[τιδος].
F. 164^{r} ibidem: δύναμ(ις) κοτυληδὸν ἑτέρ(ας).
F. 169^{r} ibidem: δύναμ(ις) καννάβε[ως ἀγρίας].
F. 170^{r} ibidem: δύναμ(ις) καυκαλ[ίδος].
F. 215^{r} ibidem: δύναμ(ις) λυσιμ[αχίου].
F. 216^{r} ibidem: δύναμ(ις) λιμω[νίου].
F. 243^{v} infra ad laevam:
ὀξυλάπαθον τὸ μέγα.
F. 247^{v} ibidem: [ὀρίγανο]ς Ἡρακλεωτική.
F. 379^{r} in margine superiore ad angulum dextrum:
[δύναμι]ς χαμα[ισύκης].

De his adnotationibus uno verbo dixisse sufficiat haud dubie eas superesse ex maiore numero eiusmodi praeceptorum, quae in ipso codice componendo in librariorum et pictorum usum, quo facilius singula capita et figuras suis locis insererent, addita post scribendi et pingendi negotium absolutum maximam partem deleta sunt.

Superest, ut de involucro, quale antiquitus fuerit, paucis disseramus. Atque supra (cap. VI) iam diximus fieri posse, ut codicis, qui nunc est, membranae aliquando in sectiones sive tomos complures distributae fuerint, quorum ambitum accuratius definire conati sumus. Tegumentum igitur simplex, quo totus in praesens liber operitur, anno demum 1406 confectum esse infra (cap. X) demonstrabimus; pristinam vero formam eius involucri, quo olim vel totus codex vel singulae codicis sectiones instructa fuerint, ex imagine f. 6ᵛ picta depromere licebit. In qua puerum alatum, cui superscriptum est πόθος τῆς φιλοκτίστου, Iulianae sedenti offere codicem apertum, qui herbae picturam quandam exhibet et sine dubio ab ipso herbario Dioscurideo non diversus est, alio loco (cap. I) indicavimus. Cernuntur autem ipsius involucri, quod coloris coccinei est, margines tantum exteriores, quarum in laeva parte duae ansae formae semicircularis constringendis membranis aptae dependent. Videtur igitur vetustissimum hoc tegumentum illi consimile, quod conspicitur in codice, quem Φρόνησις Iulianae ad dextram collocata sustinet, rubro vel corio vel panno constitisse [1]).

CAPUT VIII. DE MEMBRANIS DEPERDITIS.

Codicem Aniciae Iulianae, qualis ex librariorum manibus prodiit, folia fere 546 continuisse ex conspectu, quem in praefationis parte quinta exhibituri sumus, colligetur [2]). Hodie autem folia numerata extant 491, ex quibus detrahenda sunt

folia chartacea recentioris aetatis (saeculi fere XIV) tria signata numeris 287—289;

---

[1]) V. etiam picturam f. 5ᵛ, ubi Dioscurides repraesentatur scribens in codice, ex quo lorum ad constringendam membranarum molem dependet; qua de imagine disseruit Ch. G. Schwarz De ornamentis librorum (Lipsiae 1756) p. 169 (adiecta tab. II fig. 7). Cf. praeterea Wattenbach *Schriftwesen* ed. tert. p. 386. 398.

[2]) Cf. etiam tabulam supra (cap. V) propositam.

folium membranaceum novicium unum a. 1406 insertum (f. 205);

folia membranacea saeculi X vel XI a. 1406 in fine adiuncta sex (f. 486—491) [1]).

His decem recentioribus demptis iam supersunt folia membranacea vetusti codicis 481; perierunt vero per longam saeculorum seriem membranae circiter 65. Id quod vel maxime in mandragora conspicuum est, qui, cum picturis duabus foliorum 4 et 5 versorum materiam praebuerit, in ipso tamen herbario prorsus desideratur. Primis quidem septem saeculis monumentum hoc splendidissimum satis magna cum cura adservatum esse videtur. In ultimo enim folio textus vetusti (f. 485^r) saeculo fere XIII, quo penes homines ex occidente ortos, qui Constantinopolim expugnaverant, codicem fuisse supra (cap. II) exposui, adscripti sunt numeri duo, graecus ΦΚS sat imperite pictus et, qui latine idem valet, DXXVI manu eadem, sed melius exaratus. Qui numeri ab homine fortasse ex occidente oriundo adnotati cum ad membranas haud dubie referendi sint, illo tempore folia fere 20 deperdita fuisse apparet. Deinde saeculo ferme XIV medio Neophytus monachus Prodromenus, qui apographon herbarii Dioscuridei libro Parisino gr. 2286 servatum confecit, folia non minus 21 integra vidit et descripsit, quae quinque decenniis post, quo tempore codex noster denuo compactus et in eum, qui mansit, statum redactus est, iam desiderabantur (v. cap. XII). Unde apparet Neophyti aetate ex antiquo libro folia non minus 503, sed fortasse etiam plura superfuisse. Iam tum caput de mandragora deperditum et foliis illis chartaceis noviciis, quae nunc numeris 287—289 signata sunt, suppletum esse pro certo habeo. In adnotatione porro, quae tempore fortasse eodem f. 485^v addita est, [2]) Sisinius quidam librum nostrum his verbis designat τὴν βί[βλον ταύτην ἔ]χουσαν φύλλα φ΄ (id est folia quingenta). Quo numero, quamquam vix accuratus est,

[1]) V. rationes de foliorum numero a Lambecio institutas f. 473^v et 485^v.

[2]) Quamquam, si scripturam spectamus, etiam saeculi XV esse potest. Cf. cap. II.

tamen confirmatur etiam tum plures quam hodie membranas extitisse. Alia deinde detrimenta pretiosissimus liber proximis annis cepisse videtur, donec eum a. 1406 Ioannes Chortasmenus pessime habitum sive, ut adnotationis f. 1r inscriptae verbis utamur, *τὸν Διοσκουρίδην παλαιωθέντα καὶ κινδυνεύοντα τελείως διαφθαρῆναι* ordinandum et instaurandum suscepit, quo de opere mox disputabimus. Qui quidem folia antiqua fere 482 colligere potuit, ex quibus excepto uno, quod inter f. 471 et 472 postea excidit (v. cap. XI), omnia ad nos pervenisse et indice herbarum circa idem tempus confecto et membranarum numeris, quos ipse Chortasmenus in ultimis compagibus inscripsit (v. cap. X), comprobatur. Reliqua autem damna, quibus liber per tot saeculorum vicissitudines adfectus est, folia lacera sive partim abscissa, quorum plurima Ioannes Chortasmenus a. 1406 sarcivit, vel atramento transmisso corrosa, membranas detritas et sordibus saepe inquinatas, ultimam denique partem, qua ornithiacorum paraphrasis continetur (f. 474—485), a reliquo volumine aliquamdiu avolsam et separate habitam uno verbo attigisse satis erit, quippe quae omnia ex ipsa pictura photographica optime perspiciantur.

CAPUT IX. DE ADDITAMENTIS SAECULO XV ANTIQUIORIBUS.

Codicem, qui per longam saeculorum seriem medicorum et medicamentariorum usibus inserviebat, adnotationes a diversis adpositas quam plurimas exhibere per se consentaneum est [1]). Atque hoc loco de illis posterioris aevi additamentis breviter dicendum est, quae quidem saeculo XV ineunte vetustiora videantur. Qua in re varias manus inter se exactius discernere supersedimus negotium hoc satis infructuosum, ne haec praefationis pars nimis augeatur, eis derelinquentes, qui in posterum vocabula herbarum volgaria passim adscripta tractabunt.

[1]) De quibus pauca iam protulit Lambecius Comment. ed. Kollar. VI p. 203.

Antiquissima autem additamenta saeculo XIII attribuenda videntur; sunt ea quidem in initio codicis synonyma graeca latinis litteris transscripta itemque vocabula latina figuris alia manu adiecta, quae in codicem Parisinum gr. 2286 saeculi XIV fere medii praemissa voce *Φράγγοι* recepta esse supra (p. 9 adn. 4) memoravimus; his accedit nomen Francogallicum *genestre* f. 327ᵛ herbae, quae *σπάρτος* appellatur, adpositum et numerus foliorum DXXVI f. 485ʳ relatus, cuius supra (cap. VIII) mentionem fecimus.

Eae quae in codice habentur adnotationes graecae omnes latinis illis posteriores sunt, ut saeculo fere XIII exeunte et XIV a variis hominibus inscriptae esse videantur. Sunt autem diversissimorum generum.

1) Primum quidem in capitibus sat multis, praesertim in herbarii initio, scripturae unciali, quo facilius legatur, spiritus et accentus additi sunt, nonnumquam vero et itacismi correcti [1]).

2) Deinde in codicis exordio tres quattuorve manus titulis rubris, qui uncialibus litteris exarati figuris herbarum accedunt, in scripturam minusculam transferendis occupatae erant [2]).

3) Duobus, quod videam, locis, f. 13ᵛ (manu saeculi XIII vel XIV ineuntis) et 478ᵛ iam ante a. 1406 a diversis textus litteris recentibus transscriptus est.

4) Interdum autem ipsa verba Dioscuridis aliis fortasse ex libris aucta et interpolata sunt, veluti f. 31ʳ v. 14 [3]). Atque f. 387ᵛ ipsa *σπάρτου* figura additis foliolis correcta est, deinde

---

[1]) Cf. v. c. f. 14ʳ. 15ᵛ. 16ʳ. 17ᵛ ss. Vide, quae de his accentibus proposuit Kollarius Lambecii Comment. VI p. 203, a cuius opinione dissentit C. Weigelius in Baldingeri ephemeride *Medicinisches und Physisches Journal* VIII (1793), 29.—32. *Stück* p. 8 s.

[2]) Exempla manus primae inveniuntur f. 64ᵛ. 65ᵛ. 67ᵛ. 72ᵛ ss., rursus f. 114ᵛ. 115ᵛ. 119ᵛ, alibi. Manui secundae tribuerim notas f. 18ᵛ. 29ᵛ, tertiae f. 31ᵛ. 32ᵛ seqq. usque ad f. 42ᵛ extantes, manui quartae inscriptiones foliorum 20ʳ. 20ᵛ. 21ᵛ. 22ᵛ. 23ᵛ.

[3]) Cf. de hoc loco M. Wellmann *Krateuas, Abhandlungen der königl. Gesellschaft der Wiss. zu Göttingen, Philol.-hist. Classe*, N. S. II fasc. 1 (1897) p. 7.

in folii 328r parte inferiore eadem extat manu saeculi fere XIV delineata; utrisque vero foliis inscriptus est textus novicius.

5) Porro tres vel quattuor manus agnosci possunt, quae in margine plerumque superiore figuris synonyma e graecitate volgari repetita adscripserunt. Haec quidem synonyma, quae historiae linguae volgaris studiosis sine dubio haud parvi aestimanda sunt, vel nude ponuntur vel praemissa voce *κοινῶς* sive *οἱ δὲ* inducuntur [1]). Qua in re observandum est et ex adnotationibus, quas quarto loco attigimus, et ex his vocabulis haud pauca translata esse in herbarii apographon, quod Neophytus Prodromenus medio fere saeculo XIV confecit, traditum codice Parisino graeco 2286 [2]); nonnulla vero huius generis synonyma praeterea comparent in eiusdem Neophyti sylloge herbarum alphabetica; quo loco utrum ex ipso linguae volgaris usu an ex nostri libri adnotationibus repetenda essent, mihi quidem, ut certo efficerem, non contigit. Adde nymphae marinae, quae f. 391v pone corallum picta est, hanc interpretationem adiectam esse: *ὥς φασιν, ὁ Ποσειδών*.

6) Figuris denique herbarum quam plurimis litterae quaedam singulares additae sunt, de quarum tamen significatione mihi omnino non constat. Inveniuntur autem hae fere: *κ*, *κ* ligatum cum *β* in hunc modum: K), K3, quod omnium frequentissimum est, *β*, *α*, *η* (cf. f. 318v); accedit anulus vel orbiculus ad imas figuras adpositus. Quae siglae modo singulae positae sunt, modo binae vel ternae in una figura concurrunt.

7) Ad extremum notae aliquot adferendae sunt, quae ad ipsum codicis argumentum non pertinent, f. 485v inscriptae, videlicet adnotatio illa Sisinii cuiusdam de libro, ut videtur, tradito (cf. p. 26) et definitio *προσῳδίας* diversa manu exarata,

---

[1]) Exempla hic adponere liceat manuum diversarum: *a*) 50v; *b*) 53v. 55v. 56v. 59v. 60v. 63v; *c*) 108v. 110r. 112r. 115v. 134r; *d*) 29v. 35v. 37v. 38v. 49v. 73v; *e*) 51v. Horum synonymorum nonnulla exscripsit M. Wellmann Hermae XXXIII p. 379 ss. n. 4. 24.

[2]) De quo cf. quae infra in parte quarta (cap. XXXII n. 1) disputabimus.

quae tamen, si litteras spectamus, etiam XV saeculo adsignari potest.

8) His accedunt folia illa tria chartacea formae minoris sub n. 287—289 inserta, quibus mandragorae descriptio in ipso codice vetusto deperdita ex Dioscuridis materia medica (IV 76 p. 570—573 ed. Spr.) suppleta est. Quae primo obtutu scripturae formam satis antiquam prae se ferre videntur [1]; diligentius vero inspicientibus manifestum fit litterarum ductus imitari quidem saeculi fere XI vel XII exemplar, sed ipsos aliquanto recentiori tempori attribuendos esse. Saeculo autem XIV haec libro nostro iam adiuncta fuisse ex Neophyti Prodromeni apographo patet.

CAPUT X. DE CODICE ANNO MCCCCVI IN PRAESENTEM FERE STATUM REDACTO.

Sed iam accedamus ad enarrandas partes eius, qui anno 1406 codicem vetustate corruptum et turbatum ordinavit, sarcivit, compegit. De cuius opera hoc testimonium extat f. 1r manu eius, qui paulo post herbarium tractavit (v. cap. XI), inscriptum:

† *Τὸ παρὸν βιβλίον τὸν Διοσκουρίδην παντάπασι παλαιωθέντα καὶ κινδυνεύοντα τελείως διαφθαρῆναι ἐστάχωσεν* [2] *ὁ Χορτασμένος Ἰωάννης προτροπῇ καὶ ἐξόδῳ τοῦ τιμιωτάτου ἐν μοναχοῖς κυροῦ Ναθαναὴλ νοσοκόμου τηνικαῦτα τυγχάνοντος ἐν τῷ ξενῶνι τοῦ Κράλη ἔτους ϛοῦ ϡοῦ ιδου ἰν(δικτιῶνο)ς ιδης* (id est anno mundi 6914 sive p. Chr. n. 1406).

Atque de Ioannis Chortasmeni et Nathanaelis monachi personis et de Cralis hospitio in codicis historia (supra p. 19 s.) nonnulla disputavimus; hoc autem loco de opere ab Chortasmeno perfecto dicendum est. Et primum quidem primitivum et

---

[1]) Quam ob rem Wellmannus Hermae XXXIII p. 401 n. 280 saeculo XII haec folia attribuit.

[2]) Ita legendum est, non *εὐστάχωσεν*, quod priores exhibent. Apud Graecos infimi aevi *σταχώνειν* idem est atque librum compingere sive operculis instruere; cf. Montfauconius Palaeogr. gr. p. 40, ubi hic locus citatur; Wattenbach *Schriftwesen* edit. tert. p. 387 adn. 2.

foliorum et fasciculorum ordinem instaurare conatus numeros, quos singulis membranarum compagibus antiquitus inditos fuisse supra (cap. VI) diximus, sua ut videtur manu pristinis locis ita renovavit, ut ipsius vetustae numerationis perpauca vestigia relinqueret (cf. p. 43 s.); ubi vero prima fasciculorum folia interierant, proximo, quod servatum erat, aptos numeros inscripsit. Quo in negotio accidit, ut in theriacorum paraphrasi fasciculos duos, quos *NE* et *NS* signavit, inter se permutaverit; fasciculus enim *NS* (f. 424—431), quem posteriore loco inseruit, re vera praecedere debebat compagem nota *NE* instructam (f. 416–423) [1]. Deinde fasciculos duos *IΘ* (f. 160—165) et *K* (f. 152—159) recte quidem signavit, sed falso collocavit eo, qui praeire debebat, postposito [2].

Qua ratione postquam ordinem, quo se compages exciperent, in universum definivit, Chortasmenus membranas singulares evolsas totumque per codicem extra sedes dispersas pristinis locis inserere studuit; qua in re, ut infra in conspectu ostendemus, nonnumquam erroribus obnoxius fuit [3]. Uno autem loco, cum inter f. 204 et 206 folium periisse intellexisset, novam membranam vacuam (hodie numero 205 designatam) interpolavit eo fortasse consilio, ut λαπάθου textus et λίνου imago alio ex fonte in hoc spatio restituerentur; reliquas autem lacunas similem in modum explere supersedit. Fasciculis igitur, quam optime poterat, compositis in paginis rectis eorum foliorum, quae post fasciculum dimidium primum locum obtinent, veluti in quaternione pagina nona, ad marginem inferiorem inscripsit μέσον (scilicet τετράδιον, πεντάδιον, simile) sive μέση

---

[1] Is error transiit in codicem Laurentianum plut. LXXXVI, 9 ex C derivatum; cf. infra cap. XXXII n. V.

[2] Cum codex Parisinus gr. 2286 saeculo XIV ex C descriptus iustum hac in parte ordinem praebeat, falsa consecutio, quam Chortasmenus aut iam extantem servavit aut ipse induxit, irrepsit in codicem Chigianum F. VII. 159, id quod ex descriptione foliorum 74^r-78^r ab O. Penzigio (*Contribuzioni alla storia della botanica* p. 261 s.) proposita patet; cf. infra cap. XXXII n. II.

[3] Cf. f. 69. 279. De f. 1 cum pavonis pictura ex ornithiacis in principium translato v. infra cap. XXX.

(ubi subintellegendum *τετράς*, *πεντάς* *κτλ.*). Sub finem vero, ubi libri admodum mutili ordinandi negotium difficilius erat, inde a fasciculo *NB* (f. 396^r ss.) non solum compagibus numeros notamque *μέσον* sive *μέση* indidit, sed persaepe etiam in prima cuiusque fasciculi pagina ad marginem superiorem numerum foliorum servatorum adscripsit [1]), folia autem singula notis continuis in margine inferiore collocatis instruxit [2]). Quae quidem numeratio in fasciculis *NΔ*, *NE*, *NS*, *NZ*, *NH* satis integris (f. 410—447) omissa inde a compage *NΘ* usque ad finem continuatur.

Singulis compagibus hunc in statum redactis folia abscissa inter se coniunxit a tergo adpositis et adglutinatis fragmentis membranaceis, quorum aliquot ex codicibus vetustis deprompta esse cognoscuntur [3]); plurima praeterea, quae lacera erant, simili modo sarciendo reparavit. Neque tamen folia nimis mutila servasse, sed prorsus recidisse videtur. Membranas ita compositas filis per medias compages, ubi *μέσον* illud sive *μέση* inscriptum erat, plerumque transmissis inter se consuit. Toto iam volumine concinnato margines exteriores cultro tractavit et, quae abundare videbantur, solito bibliopegorum more abscidit. Unde factum est, ut adnotationes illae minutae supra (cap. VII) tractatae atque scholia carmini de herbarum viribus et paraphrasi ornithiacorum adiecta mutilata sint.

Ad extremum membranarum corpus communivit eo i n v o l u c r o, quod etiam nunc codici tegendo inservit. Cuius

---

[1]) Veluti f. 396^r, quod primum est fasciculi *NB*: + [*τὸ*] *νβ* [^{ον} *ἔ*]*χει* [*φύλλα*] *ϛ′*; f. 402^r, quod primum est fasciculi *NΓ*: *τὸ νγ*^{ον} *ἔχει φύλλα η′*; f. 448^r *τοῦ νθ*^{ου} *φύλλα η′*; f. 464^r *τὸ ξα*^{ον} *ἔχει φύλλα η′*. Adnotationes fasciculis *Ξ*, *ΞB*, *ΞΓ*, *ΞΔ*, *ΞE* inscriptae totae vel ex parte perierunt.

[2]) V. c. f. 396^r *τοῦ νβ*^{ου} *τὸ α′*; f. 397^r *τοῦ νβ*^{ου} *τὸ β′*; f. 398^r *τοῦ νβ*^{ου} *τὸ γ′*; eqs.; f. 448^r *τοῦ νθ*^{ου} *τὸ α′*; f. 449^r *τοῦ νθ*^{ου} *τὸ β′*. Nonnullis locis margine inferiore abscissa haec signa perierunt.

[3]) F. 404^r. 407^v. 473^v. 481^v adhibitae sunt particulae menologii ecclesiastici saeculi X vel XI, cuius folia sex integra (f. 486—491) in voluminis fine adnexa sunt; v. infra cap. XXXI. Alterius libri, qui saeculo fere XII scriptus videtur, frusta inveniuntur in marginibus interioribus foliorum 402^r 405^r. 406^v. 463^v. 480^v. 482^r. 484^v. 485^v.

partes anterior et posterior, qua latior liber est, constant tabulis ligneis firmis, quibus pariter ac tergo, quod vocatur, tela crassa superinducta est; totum autem extrinsecus corio vitulino coloris fusci satis denso operitur, quod in tabularum marginibus exterioribus clavis adfixum est. In utriusque vero tabulae parte exteriore supra et infra aptis locis binae extant fissurae, in quibus ligaminum ex texto quodam serico prasino confectorum reliquiae exiguae conspiciuntur. Quod ad tegumentum respexit Augerius de Busbecke, cum a. 1562 haec de codice Dioscurideo scripsit: *Ita extrinsecus a vermibus corrosus, ut in via repertum vix aliquis curet tollere* (cf. supra p. 30). Neque tamen involucrum, quamvis vetustate corruptum et cariosum, ex quo liber bibliothecae Caesareae accesserat, renovatum est, sed ad hunc usque diem, qualecumque est, servatur. Minime autem id codici obfuit, cum praesertim priorum saeculorum bibliopegos non ea semper, qua decebat, cura et industria in renovandis libris veteribus versatos esse notum sit.

Sed haec iam sufficiant de opere, quod Ioannes Chortasmenus a. 1406 susceperat. Qui quamquam non sine erroribus quibusdam hoc negotio functus est, tamen eius industriae debetur, quod liber pretiosissimus, quem adnotatio illa f. 1^{r} scripta exitio proximum fuisse testatur, denuo collectus, ordinatus, compactus insequentibus temporibus nulla fere iactura adfectus est [1]) eademque condicione, qua saeculo XV ineunte fuerat, per tot vicissitudines ad nostram usque aetatem pervenit.

CAPUT XI. DE MUTATIONIBUS IN CODICE POST ANNUM MCCCCVI FACTIS.

Plurima porro supersunt vestigia eius hominis, qui codicem ab Ioanne Chortasmeno instauratum vel ipso anno 1406 vel

[1]) Excipienda tamen est, quantum scimus, membrana una inter folia 471 et 472 olim collocata. Primum enim, quod ad nos pervenit, folium fasciculi *ΞΒ* (f. 472) hoc habet inscriptum: *τοῦ ξβ^{ου} τὸ β′*; unde apparet folium, quod praecedebat, *α′* hodie deperditum anno 1406 adhuc extitisse.

paulo post tractavit. E re enim tum visum erat herbas Dioscurideas numeris instructas in indicem redigere textumque ob scripturae vetustatem lectu difficilem litteris noviciis transscribere, quo melius opus medicum xenodochii τοῦ Κράλη, in quo servabatur, usibus inservire posset. Quod negotium qui suscepit, necesse est diversus fuerit ab Ioanne illo Chortasmeno. Etenim adnotatio de codice nove compacto, quam supra (p. 56) proposuimus, f. 1r manu eadem saeculi XV, quam in contextu saepissime offendimus, inscripta de Chortasmeno non prima persona ἐστάχωσα, sed tertia ἐστάχωσεν loquitur. Sed gravius est, quod ignotus ille homo sat multis locis errores a Chortasmeno in collocandis foliis commissos deprehendit et adnotavit. Praeterea ex verbis Ναθαναὴλ νοσοκόμου τηνικαῦτα τυγχάνοντος colligi potest operam hanc non illo ipso tempore peractam esse, quo codex reparatus est, sed aliquot sive mensibus sive annis post, quando Nathanael xenodochio praeesse fortasse iam desierat.

Sed cum nomen hominis huius novisse parvi intersit, haud dubie memorabile est permagnam codicis partem scriptura eius refertam esse. Statim igitur in f. 1r adnotationem de libro a. 1406 instaurato, de qua modo diximus, et aliam brevem de notione vocabulorum quorundam botanicorum adiecit, deinde in picturis, quae sunt f. 2. 4—6 versis, nomina personis adscripta non sine erroribus litteris minusculis iteravit sive de suo supplevit [1]).

Idem porro per totum herbarium titulos litteris rubris pictos, qui singularum herbarum descriptionibus vel etiam imaginibus adiecti sunt, in sui aevi scripturam cursivam transtulit eisque figuris, quae titulis carebant, de suo indidit. Ubi vero imaginem textui vel descriptionem figurae deesse

---

[1]) Vide imprimis imagines in foliis 4, 5, 6 versis collocatas, ubi figuris feminarum inter se diversis, quibus Εὕρεσις, Ἐπίνοια, Ἰουλιάνα repraesentantur, omnibus unum nomen ἡ σοφία imposuit eoque in errore sibi constans f. 6v puerum alatum, ad quem antiquus titulus πόθος τῆς φιλοκτίστου pertinet, verbis πόθος τῆς σοφίας designavit. Cf. supra p. 6 adn. 1.

vidit, adicere solet: *οὐκ ἐγράφη* vel simile [1]). Sed cum foliis totisve fasciculis bibliopegi errore falso collocatis interdum evenerit, ut figurae et descriptiones olim contiguae longioribus intervallis disiunctae sint, manu anonymi illius utroque loco exacte indicari solet, quot folia retro vel ultro evolvenda sit legentibus, ut alteram partem inveniant [2]). Quo tamen in negotio sat multis locis, ubi contextum membranarum interitu interruptum esse non perspexerat, imagines cum descriptionibus, quae non conveniebant, inepte coniunctas falsis nominibus designavit [3]).

Omnibus igitur herbarii paginis, quoad fieri poterat, concinnatis anonymus ille herbas universas inde ab initio usque ad finem numeris continuis instruxit; quos plerumque imaginibus, interdum vero iis potissimum locis, ubi figurae deerant, textus capitibus adposuit. Deinde titulos omnes cum suis numeris in indicem redegit, quem in exordii paginis vacuis, foliis videlicet 4—7 rectis, collocavit cum hac inscriptione: † *πίναξ ὀρθώτατος τῶν βοτάνων, ἅπερ ἔχει τὸ παρὸν βιβλίον, ἐνταῦθα.* Quem tamen non absolvisse, sed ad litteram tantum *T* et herbam *τνδ´ τρίφυλλον ἢ ὀξύφυλλον*, quae extat f. 352^{v}, perduxisse videtur. Nisi forte existimandum est indicis finem in membrana iam excisa, cuius frustum inter folia 7 et 8 superest, inscriptum interiisse. Atque hoc ex indice intellegitur, quod saepius monuimus, ex herbario inde ab anno fere 1406 nihil periisse.

Sed et ipsas descriptiones unciali scriptura exaratas litteris noviciis transferre coepit. Etenim, si textum folii 13^{r} et 13^{v} excipimus, qui f. 13^{v} manu paulo vetustiore saeculi fortasse XIII vel XIV ineuntis iteratus extat, totum herbarii

---

[1]) Cf. f. 78^{v}. 80^{r}. 101^{v}. 102^{r}. 161^{v}. 204^{v}. 212^{v}. 213^{r}. 227^{r}. 239^{r}. 257^{v}. 271· 315^{r}. 382^{v}.

[2]) Cf. v. c. f. 69^{r}. 69^{v}. 151^{v}. 159^{v}. 160^{r}. 166^{r}. 204^{r}. 278^{v}. 279^{r}. 279^{v}. 281^{v} (ubi haec nota falsa est). His adde notam f. 61^{v} inscriptam.

[3]) Cf. f. 47^{v}. 106^{v}. 162^{v}. 163^{v}. 164^{v}. 165^{v}. 197^{v}. 279^{r}. 339^{v}. Idem semel f. 79^{v} in textus capite accidit, cuius titulum, qui *βρίον θαλάσσιον* esse debebat, ab antiquo librario omissum errore ex folii 79^{r} imagine ita supplevit: *βρυεννία λευκή*.

Dioscuridei principium usque ad f. 142^v ab anonymo illo in vacuis membranarum spatiis elementis minusculis repetitum est [1]), ita tamen, ut progrediente opera synonyma in capitum initiis posita, utpote minus necessaria, neglegi coepta sint. Inde vero a f. 143^v negotium hoc complurium hominum manibus diversis minus curiose continuatum est, a quibus integra interdum capita, veluti κισσὸς f. 175^r, omissa sunt; ad extremum inde a f. 193^r continuum transscribendi opus omnino destitutum est, ita ut ex capitibus, quae sequuntur, ea tantum, quae utiliora videbantur, in recentiorem scripturam transferrentur [2]).

De mutationibus, quas codex inde ab ineunte saeculo XV usque ad nostram aetatem obierit, pauca addere placet. Queritur autem Busbeckius librum praeclarum, quo tempore eum Constantinopoli invenit, *vetustatis iniuria pessime habitum* fuisse (cf. p. 30). Membranarum tamen vetustarum 482, quas Chortasmenus a. 1406 collegerat, numerum fere integrum ad hoc tempus servatum esse saepius dictum est, uno tantum, quod sciamus, folio postea deperdito (v. supra p. 59 adn. 1).

Duo autem folia 404 et 407, quae is, qui medio fere saeculo XV codicem Laurentianum plutei LXXXVI n. 9 ex nostro descripsit, intacta adhuc vidit, postea abscissa sunt, ut exigua tantum verborum et picturarum fragmenta in marginibus interioribus supersint. Contra recentiore tempore duo folia membranea non numerata, ne paginae prima et ultima tegumento deterantur, inter has et tegumenti tabulas interiecta sunt.

---

[1]) Synonyma latina aliquot locis (f. 112^v. 124^v. 131^v) latinis elementis scripsit.

[2]) F. 239^v imagini nymphaeae, cuius textus perierat, observationes quaedam ex alio auctore adiectae sunt.

His quoque, de quibus agimus, saeculis sat multa additamenta scripturae veteri accesserunt. 1) Atque primum quidem certum est nonnulla synonyma graeca saeculo demum XV adiecta esse; praeterea textum herbarii inde a f. 143^{v} compluribus manibus saeculi XV litteris minusculis transscriptum esse supra (p. 62) adnotavimus. 2) Porro f. 1^{r} loco quarto legitur disquisitio quaedam logica satis confusa, cuius in fine haec extant: *ταῦτα Μιχαὴλ ὁ Βαραγγίτης γράφει*; quae quidem non de alio quodam scriptore philosopho, de quo nihil traditum habemus, sed de ipso saeculi XV scriba, qui haec fortasse excogitavit, intellegenda videntur. 3) Deinde in eodem f. 1^{r} quinto loco diversa eiusdem fere aetatis manu scripta est sententia † *πᾶς φιλόσοφος ἰατρὸς, οὐ μὴν δὲ πᾶς ἰατρὸς φιλόσοφος*; sexto autem loco ab eodem homine exarati extant versus tres politici qui vocantur syllabarum duodenarum nescio unde sumpti: *συχνῶν λοετρῶν ἀπέχου καὶ δριμέων κτλ.* 4) Tum vocabula graeca et nomina turcica litteris arabicis scripta et 5) transscriptiones litteris hebraicis factas huic aetati attribuenda esse supra (p. 26) observavimus. 6) His adiungi possunt signa diversa codici Vindobonam translato a Blotio, Tengnagelio, Lambecio bibliothecariis inscripta, quae supra (p. 37) uberius tractavimus. 7) Lambecii porro manu et folia numeris arabicis in summis paginis rectis adpositis (1—491) et figurae animalium venenatorum, quae f. 398^{v}—431^{r} extant, numeris continuis (1—38) distincta sunt, rationes praeterea de foliorum summa f. 473^{v} et 485^{v} propositae. 8) Eiusdem fortasse Lambecii iussu post folium truncatum 407 insertum est chartaceum quoddam novicium 407*, in quo figurae quondam f. 407 exhibitae integrae proferuntur adiectis nominibus *βασιλίσκος* et *σκυτάλη* et numeris 39 et 40, quibus notae illae f. 398^{v}—431^{r} figuris adscriptae continuantur, et adnotatione germanica *Verlohren*. 9) Item Kollarius, cum codicem diligentius cum Neapolitano conferret, ut alia minoris momenti praetereamus, f. 22^{r} verba in saeculi XV transscriptione omissa *τῇ ὀσμῇ μηκονώδης* supplevit, f. 197^{v}. 279^{r}. 339^{v} falsas herbarum inscriptiones ab ineuntis saeculi XV librario adpositas correxit additis vocibus *κύτισος* et *Rhamnus* et *Tithymalus*

characias, f. 161^{v} titulum, qui deerat, ἰσάτις ἀγρία supplevit, folio denique 388^{r} adnotationem quandam, quae ad carmen de viribus herbarum pertinet, nomine suo subscripto in margine adiecit (cf. cap. XXVI).

CAPUT XII. DE PRISTINO CODICIS CONTEXTU RESTITUENDO.

In codicis huius conspectu, quem infra quinta parte proponemus, singulatim indicabitur, quibus locis membranae interciderint et quaenam eae continuerint argumenta. Hoc autem capite satis habebimus in universum exponere, quibus indiciis et documentis in gravissimo hoc negotio expediendo utendum fuerit.

1. Atque primum quidem codicem mutilum esse exterioribus, ut ita dicam, argumentis comprobatur:

a) primum si in compagibus folia singularia inveniuntur, quibuscum altera folia ipso membranarum conexu iam non cohaerent sive cohaesisse cognoscuntur;

b) deinde si in compage quadam membranarum numerus admodum exiguus est. Qua in re notandum est tres tantum in toto libro inveniri compages foliorum quaternorum, quae quidem illaesae sint, reliquos autem fasciculos intactos senis vel denis vel etiam pluribus foliis constare, plerumque autem octonis (v. supra cap. V). Quodsi igitur v. c. in fasciculo ***MΘ*** duo tantum folia (381. 382) inveniuntur, etiam inde colligitur eum mutilum esse.

c) Idem efficitur, si foliorum, quae in compage aliqua extant, numerus impar esse cognoscitur, ut v. c. tres vel quinque septemve folia servata sint; ipsa enim rei natura postulat, ut singulorum fasciculorum membranae parem semper numerum exhibeant.

d) Neque minus foliorum iactura inde cognoscitur, quod consueta illa membranarum consecutio, qua bina plerumque latera carnis binaque villorum sese excipere supra (cap. V) exposuimus, interrupta est.

e) His accedit, quod nonnumquam ipsarum membranarum sive excisarum sive abscissarum reliquiae integris intermixtae servantur [1]).

2. Porro membranas deesse inde concluditur, quod contextus sententiarum hiat, sive consueta illa in herbario figurarum et descriptionum consecutio hunc in modum interrumpitur, ut v. c. herbae cuiusdam textus extet, imago desideretur, vel e contrario imago adsit, textus deficiat (v. cap. XV). Qua in re saepe cautius agendum est, cum is, qui anno fere 1406 novos figuris titulos litteris minusculis adscripsit, iterum atque iterum falsis inscriptionibus additis, quominus lacunae statim agnoscerentur, impediverit (p. 61 adn. 3). In opusculis autem appendice traditis facili negotio lacunae deprehenduntur aut sententiarum conexu intercepto aut editionum, quae pleniorem textum exhibent, subsidio.

3. His argumentis in herbario aliud accedit, si qua herba in indicem vetustum, qui foliis 8^r—10^v scriptus dimidiam fere capitum partem complectitur, recepta in ipso contextu desideratur. Qua in re tamen excipienda sunt κάρπασσος, κύπρος, σεῦτλον λευκόν, quae in indice quidem recensentur, sed in communi codicum Constantinopolitani et Neapolitani archetypo iam defuisse videntur (v. infra cap. XXII). Iam vero cum herbae in indicem relatae in singularum litterarum contextu series quasdam cohaerentes efficiant, indicis ope loci, quibus quid deperditum sit, satis certe definiri possunt.

4. In toto fere codice persaepe evenit, ut litterarum rubrarum in titulis et capitum initiis scribendis adhibitarum, sed interdum et ipsius scripturae nigrae vestigia quaedam satis certa in paginis e regione positis compareant. Quae quidem non eo tempore, quo codex confectus est, sed posteriore aetate, cum in loco fortasse humido adservaretur, orta esse inde praesertim probatur, quod etiam illic inveniuntur, ubi inter folium, cuius scriptura expressa est, et illud, in quo ectypum cernitur, aliquid intercidisse constat. Atque si consideramus in duobus fasciculis *NE* (f. 416—423) et *NS*

[1]) De folio inter 471 et 472 deperdito cf. supra p. 53; 59 adn. 1; 62.

(f. 424—431), quos a. 1406 a bibliopego inter se permutatos esse probabile est (v. cap. X), vestigia talia extare, ut folii 423^{v} litterae rubrae in f. 424^{r}, folii 415^{v} in f. 416^{r} expressae sint, dubium non est, quin etiam post a. 1406, quo codex in praesentem statum redactus est, huiusmodi ectypa facta sint.

Quae quamquam ita se habent, nihilo secius locis aliquot vestigia rubra et nigra reperiuntur e foliis hodie deperditis expressa. Cuius rei exemplum proditur f. 162^{v}, in quo figura exhibetur errore eius, qui anno fere 1406 titulos novicios adscripsit, κενταύριον τὸ μέγα appellata, re vera autem haud diversa ab ea, quae codicis Neapolitani f. 44^{r} sub inscriptione κενταύριον τὸ μικρὸν adest. In pagina igitur recta eius membranae, quam inter f. 162 et 163 excidisse aliis quoque argumentis evincitur, textus aliquando centaurii minoris collocatus fuerit necesse est. Tituli autem rubri, qui capiti huic deperdito praefixus erat, ectypum cernitur f. 162^{v}, ubi in summa pagina litteris inversis legimus...... *ΤΟ ΛΕΠΤΟΝ*; id quod haud dubie supplendum est [κενταύριον] τὸ λεπτόν [1]).

Similem rem animadvertimus f. 239^{r}. Etenim inter f. 238 et 239 membrana intercidit, in cuius pagina recta herba f. 238^{v} descripta, cui ναρκισσὸς nomen, imagine repraesentata erat, pagina autem versa textus [2]) legebatur νυμφαίας, quae f. 239^{r} delineata conspicitur [3]). Sed praeterea ex codicum Neapolitani (f. 104^{r}) et Parisini gr. 2286 (f. 29^{r}) testimoniis (v. p. 69) cognoscitur in nostro libro hoc ipso loco et imaginem et descriptionem alterius nymphaeae [4]), quae νυμφαία ἄλλη vocatur, olim extitisse. Cuius rei vestigium servatur ectypo, quod titulus ruber in folio inter 238 et 239 aliquando collocato pictus in f. 239_{r} et quidem, si infra a dextra parte egredi-

---

[1]) Idem herbae, quam in Neapolitano κ. τὸ μικρὸν vocari diximus, nomen invenitur apud Plinium nat. hist. XXV 31 et in carmine de viribus herbarum praemissum capiti IX (v. ed. Hauptii p. 482 ante v. 114; codicis nostri f. 389^{r}). Cf. quae Sprengelius adnotavit ad Dioscuridis mat. med. III 7 (p. 349 n. 42).

[2]) Cf. Neap. f. 104^{r}; Dioscuridis mat. med. III 138 p. 478 s.

[3]) Quam a Neapolitani figura diversam neque textui, qui teste Neapolitano hoc loco supplendus est, aptam esse cap. XXII exponetur.

[4]) Cf. Dioscuridis mat. med. III 139 p. 479 s.

mur, in folio tertio figurae reliquit; ubi haec fere deprehenduntur: ////// *ΛΙ* /// *ΦΜΥИ*. Unde apparet in membranae deperditae latere verso fere medio ad sinistram titulum *ΝΥΜΦ[Α]ΙΑ* [*ΑΛΛΗ*] inscriptum fuisse, cui parva pictura et textus eodem fere modo atque f. 26^{r}. 33^{r} (v. cap. XV) subiecta fuisse videntur.

In ornithiacorum denique paraphrasi inter f. 475 et 476 membranas duas excidisse constat. Atque capitum exordia, quae in priore folio recto litteris rubris scripta erant, aliqua ex parte expressa extant in f. 475^{v}; ubi supra versum 14 haec vestigia inversa cernuntur *ΠΟ/ΥΙ//////*, id est initium capitis de seleucide ave: πο[λ]υ[βορώτατον ὄρνεον ἡ σελευκὶς κτλ. [1]). Minus certa sunt ectypa rubra, quae f. 475^{r} super versu 14 adsunt et initium capitis de pico in folio, quod praecesserat, iam deperdito scripti reddere videntur: ////// *ΤΙ ΠΑΡΑ* //////; quod fortasse ita supplendum est: [Τοῖς δρυοκόλαψι δὲ καινόν] τι παρὰ [τῶν θεῶν δέδοται δῶρον [2]).

5. Aliud eiusdem rei in herbario Dioscurideo indicium inde repetere licet, quod herbae, quae in codice Neapolitano (Vindobonensi suppl. gr. 28) extant vel aliquando extitisse ex indicibus singulis litteris praemissis cognoscuntur, in Constantinopolitano nonnumquam desiderantur. Nam cum ambos ex eodem archetypo derivatos esse certissimum sit, apparet utroque easdem fere herbas tractatas esse (cf. cap. XIV. XXII). Quarum ordo quamquam in N, ubi hodie membranis transpositis valde turbatus est, aliquantum diversus erat a C, tamen in universum in utroque pariter procedere videtur, ita ut sedes lacunarum interdum etiam ex Neapolitano circumscribi possint.

6. Praeter Neapolitanum ad quaestiones, de quibus agitur, expediendas nonnihil conferre posse videntur ii codices, quos diversis temporibus ex nostro descriptos et depictos infra parte quarta proponemus. Ex quibus tamen ii, de quorum indole et aetate satis constat, veluti Laurentianus plutei

---

[1]) Cf. editionum, quae capite XXX citabuntur, Crameri p. 28, 29; Duebneri I 22 p. 112.

[2]) Cf. ed. Crameri p. 27, 6; Duebneri I 14 p. 111.

LXXXVI n. 9, Vaticanus Urbinas n. 66, saeculo demum XV confecti sunt, id est post a. 1406, quo liber Dioscuridis denuo compactus in praesentem fere statum et ambitum redactus est. Verum in Laurentiano textus, qui membranis duabus inter 401 et 402 deperditis itemque foliis 404 et 407 ad marginem usque abscissis continebatur, integer adhuc legitur. Deinde paraphraseos ornithiacorum libri duo priores codice Parisino gr. 1843, quem ex nostro pendere demonstrabitur, saeculo XIII scripto sine lacunis, quibus in C nunc abundant, adritit sunt, liber autem III ex alterius recensionis codicibus plenus adhuc innotuit. Sed alia, quae huc spectant, in partibus tertia et quarta suis locis adferre praestabit.

Maiorem vero utilitatem praebere videtur codex Parisinus gr. 2286 medio fere saeculo XIV sive ab ipso Neophyto monacho Prodromeno sive ex Neophyti exemplari descriptus, cui f. 1^r herbarii Dioscuridei apographon sine picturis inest ex nostro libro depromptum. Quod quamquam non universas herbas etiam nunc in C extantes, sed selecta capita ordine interdum paulisper mutato complectitur, multas tamen herbarum descriptiones continet, quae hodie in C desiderantur, cum aliae sine dubio iam saeculo XIV deperditae fuerint. Sed de hoc libro, quem beneficio eorum, qui bibliothecae Parisinae praesunt, Vindobonam transmissum inspicere potuimus, quarta parte (cap. XXXII n. I) uberius disputaturi hoc loco ea excerpere satis habuimus, quae ad pristinum codicis nostri contextum restituendum utilia videantur. Qua in re herbas eas, quae in C quamvis depictae textu carent, asterisco uno *, eas vero, quae in C omnino desunt, duobus asteriscis ** notavimus.

F. 8^r s. haec capitum series invenitur: *ἄκανθα* — f. 8^v ** *ἄρκιον· οἱ δὲ προσώπιδα* — *ἄκτη*. Cf. codicis C f. 72^r—73^r.

F. 9^r *βετονίκη* — ** *βήχιον*, cui f. 9^v adiectum est fragmentum Galeni inscriptum *Γαληνός* — * *βρυονία λευκή* — f. 10^r *βαλαρίς* (id est *βρίον θαλάσσιον*). Cf. C f. 78^v—80^r.

F. 18^r *ἰσάτις ἥμερος* — * *ἰσάτις ἀγρία* — *κενταύριον τὸ μέγα* — * *κενταύριον τὸ μικρόν* — f. 18^v *κοτυλιδών* — *κοτυλιδὼν ἑτέρα* — *κυκλάμινος* — f. 19^r *κυκλάμινος ἑτέρα* — *κόνυζα λεπτόφυλλος* — *κόνυζα ἑτέρα πλατύφυλλος*. Cf. in codice C fasciculi *ΙΘ* f. 161^r— 165^v et fasciculi *Κ*, qui

post f. 165 inseri debebat, sed errore eius, qui a. 1406 codicem compegit, hodie praecedit, f. 152^{r}—153^{v}.

F. 25^{r} *λυχνὶς ἀγρία* — * *λευκάκανθα* — ** *λιβυστικόν* — *λογχίτης*. Cf. C f. 212^{r}—213^{r}.

F. 26^{v} *μήκων κερατίτης* — f. 27^{r} * *μελισσόφυλλον* — *μαλάχη κηπαία*. Cf. C f. 226^{r}—228^{r}.

F. 27^{v} *μυρίς* — f. 28^{r} * *μήδιον* — ** *μελίλωτον* — *μυρτάκανθον*. Cf. C f. 233^{r}—234^{r}.

F. 28^{v} *ναρκισσός* — f. 29^{r} * *νυμφαία* — ** *νυμφαία ἄλλη* — *νάρθηξ*. Cf. C f. 238^{v}—240^{v}; supra p. 35.

F. 34^{v} *ποταμογείτων* — ** *πόλιον τὸ ὀρεινόν* — f. 35^{r} *ῥοδοδάφνη*. Cf. C f. 281^{v}—282^{v}.

F. 39^{v} *σκορδόπρασον* — f. 40^{r} ** *σέρις ἀγρία* — ** *σέρις ἥμερος* — ** *σκορπιοειδές* — * *σόγκος τραχύς* (solum nomen sine descriptione) — *σόγκος τρυφερός* — *σκορπίουρον ἕτερον*. Cf. C f. 314^{v}—318^{r}.

F. 43^{v} *τράγος ὁμοίως* — f. 44^{r} *τραγοπώγων* — *τράγος ἕτερος* — * *τιθύμαλλος χαρακίας* — f. 44^{v} *τιθύμαλλος μυρτίτης* — *τιθ. δενδρίτης* — *τιθ. πλατύφυλλος* — *τιθ. κυπαρισσίας* — f. 45^{r} *τιθ. ἡλιοσκόπιος* — *τιθ. παράλιος* — *τίφη* — *τεύκριον* — *τριπόλιον* — f. 45^{v} *τρίφυλλον* — *ὑπήκοον* — ** *ὑοσκύαμος* — f. 46^{v} *ὑπόγλωσσον*. Cf. C. f. 338^{v}—353^{r}.

F. 50^{v} *χαμαίδρυς* — ** *χαμαιπίτυς* — f. 51^{r} ** *χαμαιλαία* — ** *χαμαίμηλον* — f. 51^{v} ** *χαμαιλέων λευκός* — f. 53^{r} *ψύλλιον*. Cf. C f. 382^{v}—383^{v}.

Haec si cum codice nostro, qualis nunc est, comparamus, efficitur Neophytum folia non minus viginti unum intacta vidisse, quae hodie deficiunt.

Ad imagines denique deperditas supplendas universumque contextum restituendum haud parum etiam conferre posse videtur codex Romanus bibliothecae Chigianae, de cuius indole commentatione primum ab O. Penzigio conscripta [1]), deinde singulari Henrici Pogatscheri benevolentia edoctus sum. Quo libro insigni, qui saeculo quidem XV fere medio partim ex ipso C, partim, ubi C mutilus iam erat, ad exemplar antiquius ex C expressum confectus est, solae imagines cum inscriptionibus, sed sine textu continentur ex herbario et ex

[1]) O. Penzig *Contribuzioni alla storia della botanica* (Mediolani 1905. 8°) p. 241—282; cf. praeterea cap. XXXII n. II.

appendicibus depromptae, eis vero, quae nunc extant, longe pleniores. In herbarum quidem serie prima (f. 1^r—171^v), quae tota ex C depicta est, Pogatschero auctore proponuntur figurae 406, qui numerus eum, qui nunc in C invenitur, imaginum 383, longe superat (cf. infra cap. XIV). Ex quibus cum nonnullae fortasse aliis ex fontibus additae sint (veluti f. 83^r ἀρτεμίστρα, 120^v *porrum hortense*), longe plurimas ex ipso codice nostro, cum integrior adhuc esset, sumptas esse constat. Cuius rei documentum adferam finem seriei *Π* (f. 116^v—127^r), quam Pogatscher mihi exscripsit. Qua in re herbas eas, quae in C quamvis enarratae imagine carent, asterisco uno * designavi, eas vero, quae in C omnino desiderantur, asteriscis duobus **.

F. 125^r *polycnemum* — f. 125^v ***potamogiton* — **pota-mogiton alter* — f. 126^r ***polium irinum* (id est πόλιον ὀρεινόν) — ***pecte* — f. 126^v *periclymenon* — f. 127^r *panax herculeus.* Cf. C f. 262 ss.

Contra in serie *M*, cuius notitiam eidem viro erudito debeo, eaedem prorsus, quae hodie in C servatae sunt, figurae proponuntur.

Extant praeterea f. 215^v—219^v imagines volucrum 70 repetitae fere ex libro C et quidem ex ornithiacorum paraphrasi longe tum integriore [1]). Atque seriem libris I et II comprehensam, in qua C (f. 474^r—482^r) figuras 24 hodie praebet, exprimunt in Chigiano imagines quadraginta sex numeris graecis et arabicis inde ab n. 1 (ἀετός *aquila*) usque ad n. 40 (κύκνος, *cycnus*) instructae; tabulae vero libro III praemissae (f. 483^v), qua aves 24 repraesentantur, respondent figurae 24 f. 219^r et 219^v exhibitae, quarum pleraeque inscriptionibus carent.

His igitur indiciis et documentis, quorum in singulis lacunis compluria plerumque concurrere et invicem sese sustinere solent, usuri in conspectu codicis, quem infra parte quinta exhibebimus, et defectus codicis et materias, quae foliis deperditis comprehensae fuerint, indicabimus.

---

1) Quarum titulos exscriptos invenies cap. XXXII n. II.

PARS SECUNDA.

DE HERBARIO DIOSCURIDEO.

CAPUT XIII. DE HERBARII DIOSCURIDEI FORMA.

Postquam prima huius praefationis sectione ea tractavimus, quae ad universi codicis historiam et formam pertinent, iam transeamus ad singulas eius partes eo ordine, quem in ipso libro obtinent, enarrandas. Qua in re initium faciendum est ab herbario illo celeberrimo, quod Dioscuridis quidem nomine inscribitur, re vera autem collectio medica est ab ipso Dioscuride prorsus aliena, posteriore aetate secundum litterarum seriem concinnata ex partibus tribus: figuris herbariorum pictorum, imprimis Crateuae, synonymorum catalogis ex Pamphilo potissimum excerptis, herbarum descriptionibus ex Dioscuridis praesertim materia medica depromptis.

Cui herbario praemissa est series picturarum, quae propter artificium et elegantiam inter praestantissima artis pictoriae veterum monumenta habentur. Dico praeclaras illas imagines quinque, quae in exordio f. 2—6 versis extant [1]). De

[1]) Nam pavonis picturam folio, quod nunc est 1, traditam ad hanc seriem non pertinere, sed ex ornithiacorum paraphrasi errore in eam, quam hodie obtinet, sedem transpositam esse, tertiae partis cap. XXX demonstrabitur.

quibus quoniam facilius a viro artis historiae perito copiosius disputabitur, in re praesenti paucissima, quae quidem ad ipsum herbarium spectant, adnotare sufficit. Constat autem εἰσαγωγικὰς esse has picturas. Quarum prima et secunda septeni auctores medici atque botanici, et quidem illi praecipue repraesentantur, ex quorum operibus codicis argumentum pendet, videlicet Nicander, cuius theriaca et alexipharmaca in prosam orationem conversa appendici insunt, Crateuas, ex cuius herbario picto plurimae figurae receptae sunt, Sextius Niger Dioscuridis auctor, ipse deinde Dioscurides, cuius operi maximam descriptionum partem deberi diximus, Pamphilus synonymorum botanicorum scriptor, Galenus denique, ex quo fragmenta nonnulla excerpta sunt [1]). Tertia vero pictura, quae mandragorae inventionem exhibet, argumentum tractatur ab ipsa Dioscuridis materia medica alienum; videtur autem Crateuae effigies subesse Dioscuridis nomine arbitrarie inscripta totaque imago ex Crateuae herbario picto in hunc librum translata esse, qua de re infra (cap. XXIV, A) uberius agetur. Huius ad exemplum in ipso codice conficiendo fictam existimaverim quartam picturam, in qua Ἐπίνοια cum mandragora, Dioscurides scribens, pictor figura delineanda occupatus conspiciuntur. Quam qui excogitavit eo consilio ductus, ut originem quodammodo herbarii Dioscuridei illustraret, sane non consideravit genuinam illam Dioscuridis materiam medicam figuris omnino caruisse. De quinta denique, qua herbarium Dioscurideum absolutum offertur Aniciae Iulianae, iam supra (cap. I) ampliore commentario disseruimus.

Picturas has εἰσαγωγικὰς ipsum iam sequitur herbarium, quod longe maximam codicis partem, folia scilicet inde ab 7^{v} usque ad 387^{r} obtinet. Primo igitur loco (f. 7^{v}) positus est titulus intra coronam lauream auratam in fundo caeruleo litteris auratis per undecim versus elegantissime pictus, quem litteris minusculis hic transscribimus accentibus et interpunctionibus, ut solemus, de nostro additis:

---

[1]) Cf. M. Wellmann Hermae XXXIII p. 373; p. 371 adn. 1.

† | *Τάδε ἔνε|στιν· Πεδανίου | Διοσκουρίδου Ἀνα|ζ[αρβ]έως περὶ βοτα|[ν]ῶ[ν] καὶ ῥιζῶν κ(αὶ) χυλι|σμάτων κ(αὶ) σπερμάτω(ν) | συνφύλλων*[1]) *τε κ(αὶ) φαρ|μακωδῶν. ἀρξώμε|θα τοίνυν ἀκολού|θως ἀπὸ τοῦ | ἄλφα* (foliolum).

Foliis, quae sequuntur, 8—11 novus efficitur fasciculus. In quo f. 8^{r}—10^{v} continetur index eadem aetate, qua reliquus codex, exaratus per quinque paginas et partem sextae in binas columnas divisas[2]). Elementorum XXIV notas maiore modulo ornate pictas singulas excipiunt herbarum nomina secundum litteras, quibus incipiunt, ordinata et ita disposita, ut singuli versus singula plerumque, sed nonnumquam et bina vocabula capiant. Ea nomina, quae in singulis litteris primum obtinent locum, minio scripta sunt; ex. c. f. 8^{r} *ἀείζων τὸ μέγα*; *βούνιον*; eximendae tamen sunt litterae inde a *Γ* usque *Κ*. Intra series illas, quas primarum litterarum communione formatas esse diximus, nomina ad strictam alphabeti, qua nos utimur, normam non sunt ordinata, sed nulla certa lege sese excipiunt. Index autem hic eam ob causam memoratu dignus est, quod non omnes, quae herbario insunt vel inerant, herbas recenset, sed partem fere dimidiam, qua de re infra (cap. XXXIII) copiosius disputabitur. Praeterea ad restituendum pristinum herbarii contextum, qui plurimis foliis deperditis hodie satis mutilus est, vetustum hunc indicem haud parum valere alio loco (cap. XII n. 3) expositum est. In codicis conspectu, quem in fine huius commentationis addemus, hunc indicem integrum exscriptum cum eis, quae in herbario respondent, composituri sumus.

Accedit in eiusdem fasciculi foliis ultimis, videlicet 10^{v} et 11^{r}, titulus herbarii alter eisdem verbis, quae f. 7^{v} haberi

---

[1]) Id est *συμφύλων*.

[2]) Ab hoc indice vetusto alter recentior discernendus est anno fere 1406 scriptus elementis minusculis in foliis rectis 4—7, qui eas herbas usque ad litteram *T* comprehendit, quae in codice anno 1406 denuo compacto servatae erant. De quo conferas supra cap. XI.

modo memoravimus, conceptus, per duas fere paginas sive versus tredecim praegrandibus litteris ita scriptus, ut cum versibus singulis minio pictis singuli alternentur nigro atramento exarati. Quem minusculis litteris hic repetimus additis de nostro accentibus et interpunctionibus:

(F. 10ᵛ) *Τάδε ἔνεστιν· | Πεδανίου | Διοσκουρίδου | Ἀναζαρβέως | περὶ βοτανῶν | καὶ ῥιζῶν | καὶ χυλισμάτων |*

(f. 11ʳ) *καὶ σπερμάτω[ν] | συνφύλλων τε | καὶ φαρμάκων* [1]). | *ἀρξώμεθα τοίνυν | ἀκολούθως ἀπὸ τοῦ | ἄλφα.*

Ultima huius fasciculi pagina (f. 11ᵛ) vacat. Vacat et f. 12ʳ, qua pagina novus incipit quaternio numero *Α* signatus, quem fasciculorum series similiter numerata usque ad codicis finem excipit (cf. cap. V).

Iam ad ipsum herbarium Dioscuridis pervenimus. F. 12ᵛ prima occupat pictura inscripta *ἀείζων τὸ μέγα*; f. 13ʳ et ss. extat eiusdem herbae textus. Hanc longa serie sequuntur et figurae et descriptiones reliquarum herbarum, quarum ultima est *ὤκιμον* f. 386ᵛ enarratum, f. 387ʳ depictum. Pagina 387ᵛ vacua est. Herbae eodem ordine dispositae sunt, quem in indice illo obtinere diximus, ut consecutio alphabetica primis tantum nominum litteris constet, intra series vero hac ratione effectas nulla certi ordinis norma observetur. Qua in re id sane memorabile est ne eiusdem quidem similisve vocabuli herbas semper inter se consociari, sed magno interdum intervallo disiunctas inveniri [2]). Serierum singularum *Α*, *Β*, *Γ*, *Ε*, sequentium neque initia neque exitus propria nota ulla indicantur. Nisi forte excipis seriem herbarum, quarum cum *Δ* incipiunt nomina; folio enim 95ᵛ conspicitur *Δ* grande atramento nigro scriptum, quod in primam huius seriei inscriptionem *ΔΕΑ—ΦΙΝΙΟΝ* minio pictam intrusum est.

---

[1]) Titulus prior f. 7ᵛ habet *φαρμακωδῶν*.

[2]) Cf. infra cap. XXIII n. II.

CAPUT XIV. DE NUMERO HERBARUM.

Sed iam quaestio instituenda est, quot herbae in codice C extent, quotque olim hoc libro comprehensae fuerint [1]). Multa enim in herbario praesertim Dioscurideo membranarum interitu excidisse iam supra (cap. VIII) dictum est; quae quibus subsidiis investigari et suppleri possint, speciali capite (XII) exposuimus. Hoc loco nudos tantum numeros proponemus, quos exacta ratione instituta effecimus; singula vero qui requirunt, ad codicis conspectum relegamus, qui quinta huius commentationis parte exhibebitur.

Habuit igitur herbarium Dioscurideum, cum integrum esset, in membranis 416 herbas 435. Ex quibus hodie plenae servatae sunt 366; herbarum 17 solae extant imagines, herbarum 25 solae descriptiones; 27 totae deperditae sunt. Continet igitur herbarium, quale nunc est, in foliis 376 herbas depictas 383, herbas descriptas 391 [2]). Sed liceat singula secundum litterarum series oculis proponere:

---

[1]) Minus recte se habent, quae Kollarius ea de re profert Supplem. I p. 382.

[2]) Qua in re observandum est binas nonnumquam herbas singulis paginis depictas singulisque capitibus enarratas esse; nos autem non picturas neque capita, sed ipsas herbas computasse.

SERIES LITTERAE	Antiquus herbarum numerus	EX HIS SERVATAE SUNT:			Herbarum integrarum vel ex parte servatarum summa	Herbae omnino deperditae
		integrae	solae imagines	solae descriptiones		
Α	67	62	1	1	64	3
Β	14	10	1	1	12	2
Γ	11	11	—	—	11	—
Δ	11	6	1	3	10	1
Ε	21	19	1	1	21	—
Ζ	3	3	—	—	3	—
Η	8	8	—	—	8	—
Θ	10	10	—	—	10	—
Ι	12	11	1	—	12	—
Κ	53	50	1	2	53	—
Λ	25	20	2	2	24	1
Μ	23	15	2	2	19	4
Ν	4	1	1	1	3	1
Ξ	3	3	—	—	3	—
Ο	13	13	—	—	13	—
Π	33	24	2	4	30	3
Ρ	7	6	1	—	7	—
Σ	54	44	1	3	48	6
Τ	19	17	1	1	19	—
Υ	9	7	—	1	8	1
Φ	12	12	—	—	12	—
Χ	18	10	—	3	13	5
Ψ	3	2	1	—	3	—
Ω	2	2	—	—	2	—
	435	366	17	25	408	27

Data hac occasione pauca adiungam de numero herbarum, quae in altero herbarii Dioscuridei codice vetustissimo,

Neapolitano videlicet saeculi VII (nunc Vindobonensi suppl. gr. 28) contineantur. Atque in universum quidem constat Neapolitanum (N), quem ex eodem archetypo atque librum C derivatum esse infra (cap. XXII) explicabitur, easdem prorsus herbarum et picturas et descriptiones habere sive habuisse, quas C exhibet vel aliquando exhibebat. Id quod facili negotio ex indicibus potissimum efficitur, qui in codice adhuc integro et nondum turbato saeculo fere XIII vel XIV singulis litteris praescripti sunt; ex quibus unus tantum seriei *A* index cum aliis litterae *A* membranis deperditus est. Sed singula nonnulla ea de re proferre liceat.

In serie *A*, cuius et index et herbae nonnullae perierunt, adiuvamur notis numeralibus, quae codice adhuc integro imaginibus adiectae sunt. Quarum ultima et summa f. 26^r invenitur ξη' (id est 68), quae tamen eam ob causam in 67 corrigenda est, quod f. 8^r numerum ια' excipit nota ιγ' errore posita. Herbae vero 67, quas Neapolitanus olim hac in serie continebat, cum C consentiunt.

In serie *E* exhibentur herbae 20, quia herba, cui in C ἐριγέρων nomen est, in N ἠριγέρων vocata in serie *H* proponitur.

In serie *Z* insunt libro N herbae 4; accedit enim ζμίλαξ λεία, quam C in serie *Σ* praebet.

In serie *H* numerantur herbae 8 ut in C; accedit quidem ἠριγέρων in C sub *E* littera propositus, omittitur autem ἠγίλωψ, qui in C et hoc loco et in serie *A* sub lemmate αἰγίλωψ adest.

In serie *M* extant herbae 22; omittitur enim μελαμπράσιον ἢ βαλλωτή in C bis, ut videtur, in litteris *B* et *M*, in N vero semel in serie *B* tractata.

In serie *Σ* habentur herbae 53; σμίλαξ enim λεία codice C hic exhibita in N sub *Z* inserta est.

Quae cum ita sint, apparet codice Neapolitano antiquitus comprehensas fuisse herbas numero 433, cum duae illae, quae in C binis locis proponebantur, in N semel tantum exhiberentur. Ex his supersunt 409, quarum quattuor imaginibus privatae sunt.

CAPUT XV. QUA RATIONE HERBARII FIGURAE ET TEXTUS DISPOSITA SINT.

In herbario Dioscurideo, quod amplissimum in codice nostro obtinet spatium, singulae herbae et figuris repraesentantur et descriptionibus enarrantur. Figurae autem et descriptiones his fere modis sunt distributae [1]:

1) Plerumque et imagini et textui singulae paginae adsignatae sunt. Qua in re, ubicumque pagina textu non expletur, reliqua pars vacat. Quodsi autem textus amplior est, versus aut per totam paginam aut sub finem paginae coartantur, quo facilius descriptio una pagina absolvatur (cf. cap. VII); si vero textus nullo modo in unam paginam comprimi potest, ultra primam in paginis insequentibus una duabusve continuatur. Figurae autem et textus non eadem ubique ratione sese excipiunt, cum modo figura praecedat, modo textus. Deinde figura et textus alias iuxta se conspiciuntur, cum alterum in folio verso, alterum in eo, quod subsequitur, recto collocatum sit, alias utrumque in eodem folio ita dispositum est, ut alterum paginam rectam, alterum vero obversam obtineat.

2) Raro autem textus et figura in duabus paginis ita collocata sunt, ut in altera figura simul et descriptionis particula exhibeatur, altera textu expleatur [2].

3) Nonnumquam vero et binae herbarum figurae in una pagina consociatae sunt; quibus separata in pagina textus, quo ambae figurae illustrentur, addi solet [3].

4) Interdum et figura et textus in eandem paginam comprimuntur [4].

5) Tribus denique locis ita res se habet, ut herba quae-

---

[1]) Nonnulla hac de re habet Wellmann *Krateuas* (*Abhandlungen der k. Gesellschaft der Wiss. zu Göttingen, philol.-hist. Cl.* NS II 1 a. 1897) p. 22; Hermae XXXIII p. 375.

[2]) Cf. f. 194^v—195^r; 331^v—332^r; 365^v—366^r.

[3]) Cf. v. c. f. 152^v—153^r; 153^v—154^r; f. 171^v—172^r; 173^v—174^r; alia.

[4]) Veluti f. 20^r. 78^r. 113^v. 117^r. 134^v. 135^r, ubi librarius litteris minoribus usus est; f. 258^v. 265^r. 290^r. 314^r. 333^v. 334^r. 340^r. 352^v. 360^v.

dam illa, quam supra primo loco indicavimus, ratione depicta et descripta sit, in eius autem paginae, quae descriptionem exhibet, parte inferiore vacua alia herba adfinis minore modulo effingatur textu ibidem adiuncto [1]).

Singulis deinde herbis tituli sive λήμματα rubro colore adponi solent [2]). Quae inscriptiones vetustae aut solis textus capitibus praefiguntur [3]), aut picturis quoque ita adiciuntur, ut vel infra figuram [4]) vel supra eam [5]) collocentur. In priore quidem herbarii parte figuris plerisque nomina desunt, id quod postea plurimis membranis deperditis sat multis erroribus causam praebuit. Is enim, qui circa a. 1406 codicem nostrum tractavit, non solum titulos, ubi aderant, litteris minusculis repetivit, sed etiam eis locis, ubi desiderabantur, inscriptiones supplevit; qua in re saepius, cum contextum foliis exscissis interruptum esse non animadverteret, figuras et textus capita perperam coniunxit, ita ut picturas falsis vocabulis instrueret [6]). Qui errores, cum ope codicis Neapolitani eisdem figuris illustrati facile agnoscuntur, in conspectu codicis, quem quinta parte proponemus, omnes corrigentur.

Descriptionum titulos rubricatos excipere solent synonyma, quorum singula plerumque singulis versibus bipartitis scripta sunt [7]); haec vero sequitur textus ex Dioscuridis materia medica haustus, versibus continuis scriptus. Praeterea in serie litterarum *A*, *B*, *Γ* compluribus locis adnexa sunt excerpta ex Crateuae herbario et Galeno. Sed de his omnibus descriptionum partibus, quemadmodum distributae et perscriptae sint, infra (cap. XVII ss.) singulatim disputabitur.

---

[1]) Cf. f. 34ʳ. 26ʳ; his accedere videtur νυμφαία ἄλλη, de qua supra (cap. XII n. 4) disputatum est.

[2]) Et textui et figurae deest titulus f. 79ᵛ—80ʳ; f. 196ᵛ—197ʳ.

[3]) Id fit inde a f. 29ᵛ—158ʳ. Qua in codicis parte picturae vel e regione textus positae sunt vel textum folio recto inscriptum in folio verso excipiunt.

[4]) Id evenit f. 12ᵛ. 15ʳ. 28ᵛ.

[5]) Cf. f. 158ᵛ ss. usque ad herbarii finem paucissimis exceptis.

[6]) Cf. supra cap. XI p. 61 adn. 3.

[7]) Rarius synonyma a reliquo textu segregata in picturae pagina collocantur; veluti f. 20ᵛ.

CAPUT XVI. DE FIGURIS HERBARUM.

Figurae quomodo et collocatae et titulis inscriptae sint, superiore capite, quod satis videatur, exposuimus. De ratione autem, quae inter haec herbarum simulacra et veras herbas in rerum natura extantes atque descriptiones Dioscurideas intercedat, multum a viris doctis disputatum est, quorum commentationes statim adferentur. Quorum opiniones, quae haud raro vel maxime inter se discrepant, singulas examinare meum non est; huius enim rei arbitrium penes viros rei herbariae peritos esse debet. Hoc unum dicam plerosque et botanicos [1]) et philologos nostra aetate in eo iam consentire, quod figuras codicum C et N non ad ipsas herbas, sed ex archetypo communi ad exemplaria picta confectas esse statuunt; unde evenerit, ut inter imagines illas praeter multas summa cum veritate optime expressas haud paucae extent, quae a naturali forma quam maxime abhorrentes vel ficticiae vel monstrosae videantur. Sed ne eum quidem, qui archetypum composuit, ipsas herbas prae oculis habuisse, sed figuras per longam transscribentium seriem ex Crateuae herbario saeculo a. Chr. n. primo composito aliisque fontibus veteribus accepisse infra (cap. XXIV) demonstrabitur, ubi de herbarii Dioscuridei fontibus et origine disputaturi sumus.

Herbarum figurae, quas codex exhibet, paucissimae ad hoc tempus a viris doctis divolgatae sunt. Ex quibus decem delineatas extare in Remberti Dodonaei stirpium historiae pemptadibus annis 1583 et 1616 editis infra (capite XXV) memorabitur [2]). Tabulae autem aeneae Swieteno auctore annis fere 1763—1773 confectae, in quibus viginti septem

[1]) Cf. F. Cohn commentationis, quam infra (p. 82) citabimus, p. 307 s.

[2]) In Ioannis Frankii libello, cuius editioni primae inscriptum est Polychresta herba Veronica (Ulmae 1690. 12°), postea in linguam germanicam et gallicam converso figuram alyssi, quod ille cum thea Sinensi comparaverat, „ex codice Dioscurideo" expressam proponi auctor est A. de Haller Bibliothecae botanicae I p. 635; v. etiam I. C. G. Ackermann in Fabricii bibl. gr. ed. Harles. IV p. 684. Quod opusculum cum mihi praesto non sit, in incerto relinquo, utrum re vera figura illa deprompta sit ex nostri codicis f. 46ᵛ an aliunde.

imagines inerant ex C expressae, in publicum non prodierunt (cf. cap. XXV). Nostra demum aetate M. Wellmannus μῶλυ (f. 235^{v}) et λυχνίδα στεφανωματικὴν (f. 210^{v}) cum figuris earundem herbarum, quae aliis in codicibus extant, conlata delineanda curavit [1]). His adde ex codice Chigiano saec. XV ad nostrum exemplar depicto φασιόλου imaginem, quae cum C f. 370^{v} omnino congruit, a Penzigio exhiberi [2]). Neque aliorum codicum Dioscurideorum figurae satis notae sunt [3]).

Illis saeculis, quibus magna artis medicae pars in herbarum veterum, imprimis Dioscuridearum cognitione versabatur, multum inter medicos herbariosque de pretio figurarum, quae codice nostro continentur, in universum disceptatum est. Nam cum Sambucus, Dodonaeus, Schelhammerus, Stollius, Gerhardus van Swieten, Albertus de Haller, Sibthorpius has picturas summis laudibus ornandas multum ad definiendas herbas Dioscurideas valere existimarent, horum iudicio adversati sunt Crato, Clusius, Iacquinius, Weigelius, Sprengelius, qui omnes rudes, multas ficticias vel imo monstrosas esse conclamabant. Quorum omnium sententias infra in studiis Dioscurideis enarrandis (cap. XXV) singulas referemus. Nostris vero temporibus iam id non agitur, quid ad morbos medendos figurae conferant, sed quid utilitatis ad universam historiam rei herbariae illustrandam et ad Dioscuridis interpretationem philologam et historicam inde redundet. Quas ad res imagines has cautissime quidem, sed magno cum lucro adhiberi posse apud viros harum rerum peritos iam constare videtur [4]).

---

[1]) *Krateuas* tab. I. II.

[2]) O. Penzig *Contribuzioni alla storia della botanica* (Mediolani 1905) tab. V.

[3]) Paucas exscripsere ex Parisino gr. 2179 C. Salmasius Plinianarum exercitationum in Solinum (Traiecti 1588 s.) I p. 372 s. 380. 622 s.; II p. 683; B. de Montfaucon Palaeogr. gr. p. 259; E. Bonnet *Ianus* VIII (1903) ad p. 281; deinde ex eodem aliisque Dioscuridis libris pictis Wellmannus l. c. tab. I. II; ex Chigiani F. VII. 159 saec. XV seriebus eis, quae ex C depromptae non sunt, O. Penzig l. c. tab. VII. VIII. His accedunt imagines ex codice N expressae, quas proponunt Daubeny *Lectures* tab. VIII—XII; Penzig l. c. tab. VI.

[4]) Cf. I. C. G. Ackermann in Fabricii Bibliotheca gr. (ed. Harles.) IV p. 684; porro variae Wellmanni commentationes; H. Stadler in ephemeride Bavarica *Blätter für das Gymnasial-Schulwesen* XXXIX (1903) p. 545.

Iam liceat commentationes nonnullas componere, quibus figurae codicum Constantinopolitani et eorum, qui adfinitate huic coniuncti sunt, cum ipsis herbis comparantur et explicantur:

1) Albertus de Haller Bibliothecae botanicae I (1771) p. 85.

2) Idem nomine non enuntiato *Göttingische Anzeigen von Gelehrten Sachen* a. 1773 vol. I p. 10. 11; quae epistula indicato auctoris nomine iterum impressa est apud Baldingerum *Medicinisches und Physisches Journal* vol. VIII (1793) 29—32. *Stück* p. 6 ss.

3) I. C. G. Ackermann in Fabricii Bibliotheca graeca (ed. Harles.) IV p. 684, qui ab Hallero pendet.

4) C. Weigel apud Baldingerum l. c. VIII p. 9 s.

5) I. Sibthorp Florae graecae prodromi ed. ab I. E. Smithio II (Londinii 1806) in indice in Dioscuridem p. 392—404.

6) Idem Florae graecae X, append. III p. 33—88.

7) Ch. Daubeny *Lectures on Roman husbandry delivered before the University of Oxford* (Oxonii 1857) p. 303—319 [1].

Eis, qui Halleri, Ackermanni, Sibthorpii, Daubenyi observationibus recte uti voluerint, tenendum erit hos scriptores non ipsum codicem Constantinopolitanum prae oculis habuisse, sed tabulas illas Swieteno auctore confectas, quarum pars longe maior ex codice Neapolitano, minor ex Constantinopolitano expressa est.

8) Ferdinandus Cohn *Beitrag zur Geschichte der Botanik, Jahres-Bericht der Schlesischen Gesellschaft für vaterländische Cultur* LIX (1881) p. 310 s., qui codices C et N tractat.

9) H. Stadler *Neues zur alten Botanik* in ephemeride Bavarica *Blätter für das Gymnasial-Schulwesen* XXXIV (1898) p. 610 s.

10) O. Penzig *Contribuzioni alla storia della botanica* (Mediolani 1905) p. 246. 253—272, ubi agitur de figuris codicis Chigiani F. VII. 159 (de quo cf. cap. XXXII n. II),

---

[1]) De libris n. 5—7 citatis cf. O. Penzig l. c. p. 244 s., ubi et de enchiridiis, quae ab Sibthorpio pendent, veluti Billerbeckii Flora classica (Lipsiae 1824) et C. N. Fraasii Synopsi plantarum Florae classicae (Monaci 1845), verba facit.

quarum prima series ex C expressa est. Pendet Penzigius in eis, quae de figuris herbarii Dioscuridei profert, a Sibthorpio et Daubenyo; quam ob rem, ubicumque codicem Caesareum citat, plerumque Neapolitanus, rarius Constantinopolitanus intellegendus est.

Porro ei, qui has quaestiones diligentius tractaturus est, haud neglegenda erunt, quae de reliquorum codicum Dioscurideorum, imprimis Parisinorum, imaginibus a viris peritissimis conscripta sunt [1]).

CAPUT XVII. DE SYNONYMIS HERBARUM.

In ambobus codicibus antiquissimis Vindobonensibus inter titulos et ipsas descriptiones ex Dioscuridis plerumque materia medica derivatas interiecta sunt synonyma herbarum non solum graeca, verum etiam latina et barbara haud raro tanta copia ad singulas herbas cumulata, ut longi quasi catalogi efficiantur. Vastissima haec vocabulorum multitudo, quamquam ad hoc tempus minima ex parte a viris doctis examinata est, summi videtur momenti esse ad linguarum notitiam promovendam. Nam praeter vocabula graeca, quae nonnumquam ex dialectis, veluti Boeotorum et Cypriorum, deprompta esse indicantur, ubique fere latina magno persaepe numero addita invenimus; quibus accedere solent nomina, quibus Aegyptii Afri Armenii Barbari Bessi Daci Dardani Galli Hispani Itali Lucani Mysi Persae Siculi Syri Tusci, deinde prophetae, Zoroaster, Pythagoras, Osthanes utebantur. Atque post multas virorum doctorum controversias Wellmanni iam curis constare videtur synonyma, quae in recensione alphabetica coacervata extant, maxima

[1]) A. L. Millin *Journal d'histoire naturelle* II (1792) p. 283 ss.; idem *Magasin encyclopédique* a. II (1796) t. II p. 152–162 (de codicibus Parisinis gr. 2179. 2183); E. Bonnet *Ianus* VIII (1903) p. 169 ss. 225 ss. 281 ss. (de Paris. gr. 2179); O. Penzig l. c. p. 247 ss. 272—279 (de Chigiani F. VII. 159 figuris eis, quae ex C non sunt petitae). Vide praeterea A. de Haller Bibliothecae botanicae I p. 85; 170; C. Sprengelium *Versuch einer pragmatischen Geschichte der Arzneykunde* ed. tert. II (1823) p. 85.

ex parte non ab ipso Dioscuride textui addita esse, sed ex alio fonte satis bonae aetatis manasse, quem fuisse Pamphili grammatici opus *περὶ βοτανῶν* exeunte primo p. Chr. n. saeculo conscriptum probabilis est coniectura iam olim a Lambecio prolata, nuper vero a Wellmanno argumentis firmata [1]).

Codicis C synonyma in singulis versibus bipartitis ita disposita esse solent, ut initiis utrimque inter se exaequatis in priore columna ii, qui hoc vocabulo usi sint, designentur, veluti *οἱ δὲ*, *Ῥωμαῖοι*, *Αἰγύπτιοι*, in altera autem eodem versu ipsum vocabulum enuntietur. Rarissime contra evenit, ut tota synonymorum series continuis versibus exarata sit. Infra (cap. XXXII n. XII) probare studebimus synonyma, quae in libris manu scriptis materiae medicae ex recensione alphabetica interpolatae extant, partim ex C, partim ex N fluxisse.

Synonymorum, quae codici insunt, primus mentionem fecit Ioannes Aurispa in epistula anno fere 1423 scripta [2]). Nonnulla deinde de eisdem disputavit Lambecius Comment. II p. 593 [3]), qui primus Pamphilum grammaticum horum fuisse auctorem coniecit; copiosius vero tractavit A. F. Kollarius, de Neapolitano potissimum codice disserens, Suppl. I p. 352—358. Porro Curtius Sprengelius, qui synonymis barbaris a multis pro suppositiciis habitis certam quandam auctoritatem vindicavit [4]), in textum omnia huius generis recepit uncis plerumque inclusa; qua in re imprimis lectiones codicum C et N respexit a Weigelio amico subministrata. Post haec synonymorum series, quae codicibus Vindobonensibus traduntur, paucis attigit V. Rose Hermae VIII p. 39 adn. 1, qui spurias eas esse contendit. Novissima vero aetate M. Wellmannus in commentatione eadem, qua in universum de synonymis librorum Dioscurideorum eum disputare modo memo-

---

[1]) Cf. M. Wellmann Hermae XXXIII p. 360 ss.; idem *Verhandlungen der 44. Versammlung deutscher Philologen in Dresden* (1897) p. 55; Pauly et Wissowae encycl. V p. 1138 s.

[2]) Cf. supra p. 13 s.: *in quo (codice)... herbarum et radicum vocabula graecis literis triplici idiomate graeco, latino et alio nescio quo adnotantur.*

[3]) Ed. Kollar. II p. 258 s.

[4]) In praefatione ad Dioscuridem p. XVI s.

ravimus, Hermae XXXIII p. 360 ss. permulta eorum, quae in C et N diligenter conlatis invenerat, protulit et illustravit. In futura autem Wellmanni editione, quae ut brevi tempore prodeat, valde exoptamus, maxima synonymorum pars procul dubio non comparebit in genuino materiae medicae textu, a quo Wellmannus aliena ea esse probavit, sed in recensione alphabetica, quam ille seorsum editurus est.

Iam ad singulas linguas accedamus. Qua in re valde mirandum est tantam vocabulorum molem ex tot populorum linguis delibatam, in quarum numero aliquot sunt paucissimis monumentis nobis cognitae, a grammaticis et lexicographis neglectam fere iacere.

De Aegyptiis herbarum nominibus admodum pauca invenies apud Athanasium Kircherum Lingua Aegyptiaca restituta (Romae 1644) p. 592—603, qui haec tamen non ex codice C, cuius non meminit, sed ex Apuleii qui dicitur opere de medicaminibus herbarum [1]) habet. Inde pauciora etiam recepta sunt in Amedei Peyronii Lexicon linguae Copticae (Taurinis 1835).

Vocabula Dacica a Kollario Suppl. I p. 855 composita tractaverunt Iacobus Grimm *Geschichte der deutschen Sprache* I p. 141—148; H. Leo *Zeitschrift für vergleichende Sprachforschung* III (1854) p. 191 s. Postea eadem una cum vocabulis, quae Bessis Dardanisque tribuuntur, iterum collegit et explicare conatus est Guil. Tomaschek *Die alten Thraker* II p. 22—36 [2]), qui lectiones et codicum C et N et duorum Vindobonensium Pseudo-Apuleii (n. 93. 97) solita diligentia excussit.

Herbarum nomina Gallica ex diversis editionibus sibi cognita aliis linguae Celticae reliquiis intermixta examinarunt I. Ch. Adelung *Mithridates oder allgemeine Sprachkunde* II (1809) p. 42 ss.; L. Diefenbach *Celtica* I (1839); A. Holder *Alt-celtischer Sprachschatz* I. II (1896 s.)

---

[1]) Falsi Apuleii synonyma ex eodem fonte esse derivata atque ea, de quibus agimus, M. Wellmannus Hermae l. c. p. 369 ostendit.

[2]) *Sitzungsberichte der Akademie der Wiss. zu Wien, phil.-hist. Classe* CXXX (1894) *Abh.* II. Ceterum parum certis fundamentis inniti, quae Tomaschek in hac commentatione sibi enucleasse visus est, monet P. Kretschmer *Einleitung in die Geschichte der griech. Sprache* (1896) p. 217 cum adn. 4.

Synonyma denique latina, quorum plus centum in lexicis desiderabantur, ex Sprengelii editione collecta et secundum litterarum ordinem disposita prodidit H. Stadler *Archiv für lateinische Lexikographie* X (1898) p. 83—115, quam commentationem paulo post ex codicum C et N conlatione supplevit archivii eiusdem vol. XI (1900) p. 105—114. Post Stadlerum eodem negotio perfunctus est M. Wellmannus Hermae XXXIII (1898) p. 378—422, cui ex duobus codicibus Vindobonensibus ut vocabula latina 541 erueret, contigit.

Reliquarum autem linguarum synonyma ad hoc tempus, quod sciam, nondum collecta et adnotata sunt [1]).

CAPUT XVIII. DE DESCRIPTIONIBUS EX DIOSCURIDE DEPROMPTIS.

Synonyma, de quibus modo egimus, in utroque libro C et N interdum nuda posita sunt, ita ut nihil subsequatur. Plerumque autem subici solent propriae herbarum descriptiones, quarum longe maximam partem ex Dioscuridis materia medica petitam esse patet. Neque tamen omnes herbae in Dioscuridis opere enarratae, quarum numerus ad septingentas accedere dicitur, in herbarium codicibus C et N traditum receptae sunt, sed quadringentae fere eae, quas ipse Dioscurides ceteris accuratius tractavit. Sed praeter has aliquot inveniuntur capita, quae a genuino Dioscuridis textu omnino aliena aliis ex fontibus originem trahunt [2]).

---

[1]) Nam quod Tomaschek l. c. p. 23 adfirmat vocabula quoque Punica et Syriaca a linguarum orientalium peritis tractata esse, fatendum est mihi quidem nullam de hac materia disquisitionem innotuisse.

[2]) Veluti *ἀργεμώνη ἑτέρα* f. 58^r; *δελφίνιον ἕτερον* f. 101^v; *ἱεράκιον τὸ μέγα* f. 150^r; *κυνόγλωσσον* f. 167^r; *λευκόϊον θαλάσσιον* f. 69^r; *ποταμογείτων ἕτερος* f. 281^v; *σαξίφραγον* f. 290^r; *χαλκὰς* f. 372^v; de quibus cf. Wellmann *Krateuas* p. 25 adn. 31; idem Hermae XXXIII p. 374 s. Constat autem haec capita ex ipsa recensione alphabetica irrepsisse in materiae medicae libros interpolatos, in quorum textu constituendo maximas codicis C fuisse partes infra (cap. XXXII n. XII) demonstrabitur.

In herbario Dioscurideo concinnando tres partes inter se diversas in unum corpus concrevisse demonstrabimus, syllogen herbarum alphabeticam antiquiorem picturis illustratam et amplissimis supplementis auctam, deinde synonymorum catalogos et Dioscuridis descriptiones, quae illi syllogae quodammodo accommodandae erant. Quae cum ita sint, mirari haud possumus, quod textus in recensione alphabetica figuris additus non solum aliis sub titulis atque in materia medica genuina proponitur [1]) neque semper ipsis cum figuris satis convenit [2]), qua de re diligentiore disquisitione adhuc indigemus, verum etiam plurimis locis a genuinis Dioscuridis verbis quam maxime differt, ad arbitrium eius, qui archetypum huius recensionis composuit, contractus et immutatus, nonnumquam autem et interpolatus vel amplioribus supplementis auctus eo consilio, ut herbarum figuris melius respondeat. Qua de quaestione satis habeo legentes ad ea relegare, quae Wellmannus vir harum rerum peritissimus diversis locis de Dioscuridis recensione alphabetica protulit [3]). Accuratius enim hanc rem totamque quaestionum, quae huc pertinent, gravissimarum molem tractare neque meum esse puto neque, si putarem, huic operae recte peragendae in praesens par essem, quoniam critica genuinae materiae medicae editione adhuc egemus.

---

[1]) Veluti herba, cui in codice *ἀμάρακον* inscribitur, Dioscuridi est *παρθένιον*; *ἀδιάντῳ ἑτέρῳ* respondet *τριχομανὲς*, *καλλιτρίχῳ* autem *ἀδίαντον*; *ἐφήμερον* apud Dioscuridem vocatur *κολχικόν*. Multa eius generis inveniuntur in indice herbarii a Kollario Suppl. I p. 359—381 proposito, in quo locos materiae medicae adnotavit; uberrima autem exempla ad hoc tempus repeti poterunt ex Wellmanni commentationibus *Krateuas* p. 25 ss.; Hermae XXXIII p. 379 ss., ubi herbis, quorum synonyma latina tractantur, materiae medicae loci congruentes addi solent. — Eundem textum ex Dioscuridis IV 184 (p. 678 s. Spr.) duobus locis, et *θηλυπτέριδι* et *πτέριδι ἑτέρᾳ*, adscriptum esse infra (cap. XXIII n. I, 2) docebimus; accedit, quod Dioscuridis (III 47 p. 395 s. ed. Spr.) caput de *μῶλυ* hac in recensione duabus herbis, quibus *μῶλυ* (f. 236r) et *σφαιρῖτις* (f. 297r) nomen, accommodatum est.

[2]) Cf. Wellmann *Krateuas* p. 32; H. Stadler in ephemeride Bavarica *Blätter für das Gymnasial-Schulwesen* XXXIV p. 611 s.

[3]) *Krateuas* p. 10; Pauly et Wissowae encycl. V p. 1141.

Accedit, quod his ipsis diebus, cum haec scriberemus, nuntiatum est editionem Dioscuridis a Wellmanno curatam et tam diu summo desiderio a nobis aliisque exoptatam proximo tempore Berolini apud Weidmannos prodituram esse, qua non solum materiae medicae textum, sed et recensionem alphabeticam sese propositurum ipse editor promisit [1]). Qua opera a viro doctissimo et sagacissimo suscepta ut permultis, quae nunc in incerto relinquenda erant, nova lux adfundatur, fore speramus.

Qua vero ratione recensionis alphabeticae textus Dioscurideus, qui duobus vetustissimis codicibus Vindobonensibus traditur, inde a saeculi XVI fine ad ipsam materiam medicam recensendam adhibitus sit, satis apparebit ex eis, quae de Sambuci et Weigelii studiis Dioscurideis, quae Saraceni et Sprengelii editionibus profuerunt, infra (cap. XXV) exponemus. Iamque rectius perspecta indole librorum manu scriptorum, quibus Dioscuridis opus traditur, manifestum fit editores priores hac in re codicibus nostris iusto maiorem tribuisse auctoritatem.

CAPUT XIX. DE CRATEUAE FRAGMENTIS.

Capitibus Dioscurideis passim contractis et immutatis, quae herbarum figuris adiecta sunt, in seriebus *Α*, *Β*, *Γ* litterarum a folio 16^r usque ad folium 94^v multis locis accedunt excerpta ex consimilis argumenti operibus, quibus inscribitur Κρατεύας addito plerumque epitheto ῥιζοτομικὸς et Γαληνός. Quae quod tam exigua codicis parte produntur et mox adponi desinunt, sine dubio referendum est ad librariorum curam et industriam maiores in operis limine quam postea; quocum convenit, quod etiam picturas in principio collocatas sequentibus multo elegantiores esse observamus. Accedit, quod hanc ipsam codicis partem separato tomo

---

[1]) V. Pauly et Wissowae encycl. V p. 1142. Utriusque textus specimina dedit idem *Krateuas* p. 10—18 et p. 7—9.

comprehensam fuisse probabile est (v. supra p. 45; infra cap. XXIV).

Atque de Galeni fragmentis, quae ex libro sexto περὶ δυνάμεως φαρμάκων hausta sunt, sequente capite expposituri sumus; hoc autem loco disputandum est de reliquiis Crateuae [1], quarum Constantinopolitanus vetustissimus fons est, unicus, ut mihi videtur, archetypus ceterorum codicum, qui haec praebent. Quae quidem frustula exigua M. Wellmannus [2]) erudita disquisitione demonstravit maximi momenti esse non solum ad ea, quae ipse Crateuas in re herbaria praestiterit, recte aestimanda, sed etiam ad viam et rationem, quam Dioscurides in herbis materiae medicae enarrandis secutus sit, exactius cognoscendam. Videntur autem ea, quae Crateuae esse indicantur, non ex opere illo superesse, quod ῥιζοτομικὸν inscriptum herbarum ad remedia paranda utilium et descriptiones et effectus continebat, sed potius una cum figuris deprompta esse ex Crateuae herbario picturis illustrato et alphabetico ordine digesto, in quo descriptiones omissas et effectus tantum notatos esse Plinius nat. hist. XXV 8 auctor est. Quae cum ita sint, ῥιζοτομικὸς illud sive ῥιζοτόμος una cum Crateuae nomine excerptis his praemissum non de libris ῥιζοτομικῶν, sed scriptoris quasi epitheton, quo ab aliis quoque auctoribus ornatur, accipiendum est [3].

Inveniuntur fragmenta Crateuae in ea tantum herbarii parte, qua *A* littera continetur, infra textum Dioscurideum herbis aliquot addita, quae in vetustum indicem f. 8^r relatae hanc aliasque ob causas antiquiori syllogae herbarum adnumerandae sunt (v. infra cap. XXIV). Scripta vero sunt Crateuaea

[1]) De Crateua, qui medicus erat Mithradatis VI Eupatoris regis Ponti (a. 120—63 a. Chr. n.), praeter Wellmanni commentationem sequente adn. citatam cf. Ernestus H. F. Meyer *Geschichte der Botanik* I p. 250 ss.; A. G. Costomiris *Revue des études grecques* II p. 358 ss.

[2]) *Krateuas, Abhandlungen der königl. Gesellschaft der Wiss. zu Göttingen, Philol.-hist. Klasse* NS II 1 (1897) p. 1 ss. Qua ex commentatione nonnulla repetivit I. Berendes in ephemeride Berolinensi *Apotheker-Zeitung* XIV (1899) n. 16 p. 100 s.

[3]) Cf. infra cap. XXIV.

eadem manu, qua textus Dioscurideus, sed litteris aliquanto minoribus, versibus brevioribus et coartatis. Atque plerisque pro titulo litteris rubris pictum praecedit Κρατεύας ῥιζοτομικός; semel autem (f. 25^{r}) legimus: Κρατεύας ῥιζοτόμος, semel (f. 26^{r}) Κρατεύας; prima praeterea textus, qui subsequitur, littera minio picta esse solet.

Iam recenseamus decem haec fragmenta indicatis et locis et argumentis et paginis editionis a Wellmanno in commentationibus academiae Gottingensis propositae [1]:

f. 18^{r}	ἀριστολοχία μακρά	W.	11.
19^{v}	ἀριστολόχιον	»	12.
25^{r}	ἀχίλλειος	»	14 s.
26^{r}	ἀνεμώνη ἡ φοινικῆ	»	15 s.
27^{r}	ἀσφόδελος	»	16 s.
29^{r}	ἀργεμώνη	»	19 s.
30^{r}	ἀρνόγλωσσον	»	18 s.
31^{r}	ἄσαρον	»	17 (cf. 6 s.).
33^{r}	ἀστέριον	»	20.
40^{r}	ἀναγαλλίδες	»	18.

Redeunt haec ipsa frusta, qualia exemplari nostro exhibentur, non tantum in eis libris, qui inde descripti sunt, veluti in Parisino graeco 2286 saec. XIV [2]) et in Vindobonensi med. gr. 5 (Nesselii; 6 Lambecii) saec. XVI [3]), sed etiam in aliis quibusdam codicibus Dioscurideis, qui quodammodo ex nostro pendere videntur, quibusque adnumerandi sunt liber recensionis alphabeticae auctae Venetus Marc. 92 saec. XIII (apud Wellmannum littera *v* designatus) et codices materiae medicae interpolati Parisinus gr. 2183 saec. XV (*p*) et Venetus Marc. 271 saec. XV (v_1) [4]). Quibus omnibus cum eadem prorsus fragmenta tradantur atque Constantinopolitano, quae ultra Α litterarum non progrediuntur similesque nostro lectiones praebent, magna cum probabilitate suspicari

---

[1]) Cf. supra p. 89 adn. 2.

[2]) Cf. A. G. Costomiris l. c. p. 362; infra cap. XXXII n. I.

[3]) De quo vide infra cap. XXXII n. VII.

[4]) Cf. Wellmann *Krateuas* p. 5 adn. 10; p. 12 adn. 17; infra cap. XXXII n. X. XII.

possumus unicum fontem et archetypum, ex quo per totum medium aevum Crateuae fragmenta petita sint petique potuerint, fuisse Constantinopolitanum [1]).

De auctoritate eorum, quae Crateuae nomine insignita codici nostro insunt, recte iudicare difficillimum est eam ob causam, quod nullum alium eorundem fontem cognitum habemus. Genuinae quidem quin sint exiguae hae reliquiae, post egregiam Wellmanni commentationem nemo iam in dubium vocabit. Neque tamen desunt, quae suspicionem quandam moveant, veluti barbarica vox ἀξουγγία, quae in capitibus de ἀργεμώνῃ (f. 29^r) et de ἀστερίῳ (f. 33^r) invenitur [2]). Sed si consideramus, quanta cum licentia ipse Dioscuridis textus itemque excerpta ex Galeni opere περὶ δυνάμεως φαρμάκων in nostro exemplari reddantur, vix mirum videtur Crateuae

---

[1]) In catalogis codicum Constantinopoli servatorum, quos inter annos 1565 et 1575 compositos ex Vindobonensi hist. gr. 98 (suppl. Kollarii n. 133) edidit R. Foerster in programmate gratulatorio universitatis Rostochiensis a. 1877 inscripto *De antiquitatibus et libris manuscriptis Constantinopolitanis,* in bibliotheca Antonii Cantacuzeni extare dicitur p. 24 n. 11 *ἰατροσόφιον* quoddam, in quo praeter alia medica inerat *Κρατεύα τοῦ ῥιζοτόμου μερικὸν εἰς τὴν ὕλην τὴν ἰατρικὴν καὶ εἰς τὰς σκευασίας τὰς κοινάς* (v. etiam Wellmann *Krateuas* p. 4 s. adn. 6). Huic accedunt inter libros Michaelis Cantacuzeni *ἰατροσόφιον Κρατεύα τοῦ ῥιζοτόμου περὶ ὕλης ἰατρικῆς* (Foersteri p. 27 n. 11); inter libros a grammatico quodam congestos *ἰατροσόφιον Κρατεύα τοῦ ῥιζοτόμου* (ibidem p. 20 n. 15). V. praeterea de omnibus Costomiris l. c. p. 360 s. Quibus de codicibus deperditis in medio relinquendum est, utrum re vera fragmenta illa Crateuae ex Constantinopolitano hausta exhibuerint, an fraude omnino Crateuae nomine fuerint inscripti. Id quod Wellmannus l. c. p. 5 ss. in alio quodam libro ab Aloysio Anguillara Patavino anno fere 1561 adhibito evenisse ostendit, quo capita ex alphabetica Dioscuridis recensione excerpta falso sub Crateuae nomine proponebantur. Neque eiusmodi fraudes miros nos habere possunt, quandoquidem in eisdem catalogis a Foerstero editis legimus habuisse Michaelem Cantacuzenum *ιατρcσόφιον Ἀνδρέα τοῦ θαυμαστοῦ περὶ ὕλης ἰατρικῆς κατὰ ἀλφαβήτου στοιχεῖον* (p. 27 n. 12) et *ἰατροσόφιον Νίγερ τοῦ Ἀττικοῦ* — sub quo Sextius ille Niger latere videtur — *περὶ ὕλης ἰατρικῆς* (ibidem n. 13).

[2]) Unde H. Stadler in ephemeride Bavarica *Blätter für das Gymnasial-Schulwesen* XXXIV (1898) p. 612 conclusit haec duo saltem fragmenta Crateuae abiudicanda esse.

quoque verba ad eius, qui haec composuit, arbitrium contracta, immutata, interpolata esse.

Extare haec Crateuaea in libro nostro iam eximius ille Busbeckius a. 1562 observaverat [1]; deinde Lambecius [2] et Nesselius [3] eorundem meminerant. Primus autem, quod sciam, Carolus Weigelius medicus Lipsiensis, cum Vindobonae a. 1793 codicem diligenter conferret, has reliquias ῥιζοτομικοῦ descripsit eo consilio, ut emitteret inter anecdota bibliothecae Vindobonensis, quorum editionem eo tempore paravit, sed numquam ad finem perduxit [4]. Porro Ernestus H. F. Meyer [5], ut opiniones virorum doctorum de his fragmentis valde inter se discrepantes examinaret [6], per Fenzelium amicum Vindobonensem capitum duorum, quibus ἀχίλλειος et ἀνεμώνη tractantur, apographa sibi comparavit, quae ille tamen non ex ipso exemplari Constantinopolitano, sed ex codice med. gr. 5 [7] inde descripto excerpserat. Nostra demum aetate de libris manu scriptis, qui Crateuae reliquias continent vel continere dicuntur, caute disseruit A. G. Costomiris [8], qui tamen Vindobonenses duos, videlicet Constantinopolitanum et med. gr. 5 ex illo derivatum ipse non viderat, sed ex descriptionibus Lambecii et Nesselii cognitos habebat. Iam tandem a. 1897 exigua haec frustula, quorum editionem viri docti tam diu frustra desideràverant, ex nostro libro exscripta et prooemio, apparatu critico, commentariis eruditis instructa M. Wellmanno [9] auctore in publicum prodierunt.

---

[1] V. epistulam supra p. 29 citatam: *Dioscoridem .... in quo sunt paucula quaedam, ni fallor Crateuae.*

[2] Comment. ed. prior. II p. 556 (cf. p. 593); ed. Kollarii II p. 120—125 adn. B.

[3] Catalog. III p. 9.

[4] Cf. infra cap. XXV.

[5] *Geschichte der Botanik* I p. 255 s.

[6] Veluti C. G. Kuehnius Opuscul. academ. II p. 106 minimi haec fragmenta aestimaverat veritus, ne suppositicia essent.

[7] Cf. supra p. 90; infra cap. XXXII n. VII.

[8] L. c. p. 360 ss.

[9] *Krateuas*, de quo libello cf. supra p. 89 adn. 2; ubi p. 11—20 decem illa fragmenta proponuntur. Censuram huius commentationis scripsit H. Stadler l. c. p. 609 s.

CAPUT XX. DE GALENI FRAGMENTIS.

Praecedente capite postquam de Crateuae reliquiis exposui, paucissima iam supersunt, quae de Galeni excerptis adiciantur. Quae quidem omnia deprompta sunt ex operis περὶ κράσεως καὶ δυνάμεως τῶν ἁπλῶν φαρμάκων libro sexto, ubi quae enarrantur herbae eo ipso, quod alphabetico ordine digestae sunt, compilandi studiosos invitabant. Inveniuntur haec fragmenta, quae Crateuaea numero longe superant, inter f. 16^r et 94^v, id est non solum in serie *Α*, qua Crateuae excerpta continentur, verum etiam intra *Β* et *Γ* litteras. Qua in re idem observatur, quod superiore capite monuimus, haec eis tantum herbis accedere, quae in vetusto indice recensentur [1]).

Excerpta Galeniana simili prorsus ratione et collocata et scripta sunt atque ea, quae Crateuae tribuuntur, nisi quod pro titulo rubris litteris praescribi solet Γαληνός; quae quidem inscriptio duobus locis, foliis videlicet 71^r et 72^r incuria librarii omissa est, ita ut ex argumento tantum cognoscatur haec quoque ad Galenum redire. Nonnumquam autem in eodem capite concurrunt fragmenta et Crateuae et Galeni; quod si accidit, Galeni verba aut iuxta Crateuaea altera in columna ponuntur, veluti f. 19^v, 27^r, 30^r, 33^r, 40^r, aut e regione in pagina, quam pictura obtinet, veluti f. 25^v, 28^v, 30^v.

Inter viros doctos, qui Galeno edendo operam dederunt, nullus ad hoc tempus extitit, qui hunc codicem adhiberet. Nihilominus iam nunc, etiamsi editione critica illorum Galeni librorum omnino egemus, satis confidenter adseverare licet excerpta Constantinopolitani, quamvis omnia reliqua Galeni exemplaria antiquitate longe superet, ad ipsa scriptoris verba constituenda minimi pretii esse. In quae eadem fere cadit sententia, quam de textu Dioscurideo supra (p. 87 s.) protu-

---

[1]) Nisi quod f. 71^r herbae, cui αἶρα nomen, in indice omissae Galeni verba addita sunt; sed hanc quoque priori classi adnumerandam esse infra (cap. XXIII n. III) aliis argumentis probabimus.

limus. Nam Galeni verba, qualia in Kuehnii editione [1]) nobis sese offerunt, in C tanta cum libertate contrahi et immutari solent, ut ea solum, quibus Dioscuridis descriptiones suppleantur, relicta sint [2]); accedit, quod et singula vocabula et totae sententiae, prout e re visum est, ad arbitrium transponuntur. Neque ullam in tot fragmentis lectionem investigare equidem potui, ex qua ipse textus Galenianus maiorem quandam utilitatem caperet. Sed ea de re certum definitumque ferre iudicium eorum erit, qui criticam Galeni editionem parabunt.

Indicem fragmentorum e Galeno in hunc librum receptorum adiectis locis editionis a Kuehnio curatae, quibus illa respondeant, infra post codicis conspectum (cap. XXXIV) subiungere placuit.

CAPUT XXI. DE HERBARUM DIOSCURIDEARUM RECENSIONE ALPHABETICA.

Postquam superioribus capitibus de singulis partibus disseruimus, quibus herbarium Dioscurideum codice C traditum constet, iam in universum agendum est de eiusdem indole, origine, fontibus. Quas ad quaestiones absolvendas ipsum librum C plurima praeter ceteros conferre ex ea, quae sequitur, disputatione facile perspicietur.

Codicum, quibus materia medica Dioscuridis Anazarbei eiusve partes traduntur [3]), duae distinguuntur classes principales.

---

[1]) Claudii Galeni opera omnia. Ed. cur. C. G. Kuehn. Tomus XI (Medicorum Graecorum opera, vol. XI, 1826).

[2]) Cf. imprimis Galeniana f. 23^r, 24^r, 70^r tradita.

[3]) De codicibus Dioscurideis fusius egerunt ex vetustioribus scriptoribus I. C. G. Ackermann in Fabricii Bibliotheca gr. IV p. 583 ss.; C. Sprengelius in praefatione ad Dioscuridem I p. XVII ss.; alias quasdam commentationes indicant L. Choulant *Geschichte und Literatur der älteren Medicin* ed. alt. I p. 83; G. A. Pritzel Thesauri literaturae botanicae ed. novae (1872) p. 87. Sed haec omnia iam obsoleta facta sunt eis disquisitionibus, quas M. Wellmannus in nova Dioscuridis editione paranda de materiae medicae apparatu critico volgavit. Qui de codicum indole et classibus his fere locis disseruit: *Krateuas, Abhandlungen der königl. Gesellschaft der Wissenschaften zu Göttingen, Philol.-hist. Klasse* N S II 1 (1897) p. 11 s. adn. 17; p. 21 ss.;

Quarum priore comprehenduntur ii codices, quibus genuinus librorum quinque materiae medicae textus ad nos pervenit; inter quos antiquissimus est Parisinus gr. 2179 saeculi IX. Ad alteram vero classem pertinent codices ii, in quibus textus Dioscurideus in alphabeticum ordinem redactus variisque additamentis auctus et interpolatus proponitur. Inter quas classes medium fere locum obtinent exemplaria aliquot serae aetatis, inde a saeculo XIV confecta, quibus materia medica inest primitivo quidem ordine disposita, sed ex recensione, quam modo diximus, alphabetica interpolata.

Iam vero in altera illa classe tria librorum genera agnoscuntur. Atque ad primum genus pertinet archetypus codicum Constantinopolitani (C), iam Vindobonensis med. gr. 1, de quo hic agitur, et alterius, qui Neapolitanus (N) dicitur, item Vindobonae nunc adservati, de quo statim plura proferentur; quibus libris herbae tantum Dioscuridis plerumque verbis enarratae et in alphabeti seriem redactae proponuntur. Secundo autem generi adnumerantur illi inde a saeculo fere XII libri, in quibus herbis Dioscurideis quattuor aliae remediorum a Dioscuride tractatorum series secundum litteras dispositae accedunt [1]. In tertio vero huius classis genere cetera quoque Dioscuridis opuscula in recensionem alphabeticam recepta sunt.

Atque nobis quidem hoc loco res est cum herbario

Hermae XXXIII p. 363; Pauly et Wissowae encycl. V p. 1141 s. Neque neglegenda sunt, quae de codicibus Escurialensibus, qui maximam partem a. 1671 perierunt, commentati sunt C. Graux *Essai sur les origines du fonds grec de l'Escurial (Bibliothèque de l'école des hautes études* XLVI, 1880) p. 97 ss. 335; R. Beer *Jahrbuch der kunsthistorischen Sammlungen des Kaiserhauses* XXIII (1903) p. XC n. 154, 1. Sat multa porro, quae huc spectant, a nobis in quarta huius praefationis parte exponentur.

[1]) Cuius generis libri iam Conrado Gesnero innotuisse videntur; is enim in praefatione de rei herbariae scriptoribus, quae praemittitur operi Hieronymi Tragi De stirpium, maxime earum, quae in Germania nostra nascuntur, usitatis nomenclaturis (ed. Argentorati 1552. 4°) vol. I, haec scribit de libris XXIV, quos Suidas Dioscuridi tribuit: *quos libros nihil aliud continere quam illos qui habentur puto, ordine viginti quatuor apud Graecos literarum digestos, quo ordine etiam hodie reperiri eos audio.* Cf. I. P. Tournefort Institution. rei herbariae ed. tert. I (1719) p. 7.

Dioscurideo alphabetico, quod codicibus C et N vetustissimis ex communi archetypo derivatis ad nostram pervenit aetatem. Componitur autem hoc opus, ut saepius monuimus, partibus tribus diversissimis, videlicet picturis herbarum, quas et ipsas dimidia fere parte ex sylloge quadam alphabetica figuris illustrata depromptas, altera vero aliis ex fontibus supplementi causa adiectas esse infra (cap. XXIII s.) demonstrabimus, deinde catalogis synonymorum singulis herbis propriorum, quos incertus quidam auctor Pamphili potissimum Alexandrini vestigia secutus composuerat, ipsis denique herbarum descriptionibus ex materia plerumque medica Dioscuridis Anazarbei excerptis, quas imaginibus illis variis modis accommodare necesse erat. Ea igitur, quae in C sub Dioscuridis nomine, quod et nos retinuimus [1]), feruntur, ex parte tantum ad hunc auctorem redire, rectius autem collectionem herbarum medicinalium diversis ex fontibus compilatam appellari posse iam perspicitur. Videtur autem summaria haec herbarum notitia medicis et pharmacopolis imprimis destinata tertio fere p. Chr. n. saeculo concinnata esse, qua de re mox copiosius disserendum erit.

Praeter librum C in bibliotheca Palatina Vindobonensi alterum exemplar manu scriptum adservari modo diximus, quo alphabetica illa herbarum Dioscuridearum recensio continetur, codicem videlicet suppl. gr. 28, a viris doctis, ut ab illo distinguatur, Neapolitanum (N) eam ob causam vocatum, quod ex monasterio Augustinianorum Neapolitano Sancti Ioannis de Carbonaria dicto aliis cum libris manu scriptis a.

---

[1]) Herbarii Dioscuridei vocabulum, quo et nos frequentius usi sumus, iam Kollarius Suppl. I. p. 350 commendavit collatis verbis Cassiodorii Senatoris de inst. divin. litt. c. 31: *quod si vobis non fuerit Graecarum litterarum nota facundia, imprimis habetis herbarium Dioscoridis, qui herbas agrorum mirabili proprietate disseruit atque depinxit.* Qua tamen in re cavendum est, ne librorum C et N recensionem confundamus cum latina illa herbarii versione, quae etiam nunc extat atque herbas non secundum litteras, sed eo, quo ipse Dioscurides enarravit, ordine digestas praebet; cf. H. Stadler *Archiv für lateinische Lexikographie* X p. 403 ss.; Wellmann in Pauly et Wissowae encycl. V p. 1134 s.

1718 regnante Carolo VI Vindobonam translatus est [1]). Is igitur est minoris formae quam C, latus cent. 14, altus cent. 29.7, saeculo VII, ut viris rei palaeographicae peritis videtur, scriptus, constatque foliis 172, quorum partes versae scripturam plerumque non receperunt. Continetur autem hoc libro solum herbarium Dioscurideum titulo carens et in principio *A* litterae truncatum, omissis commentationibus ad res naturales pertinentibus, quae in C inde a f. 388[r] accedunt. Atque in paginis rectis huius codicis vetustissimi ternae plerumque, interdum binae quaternaeve, perraro singulae herbae et repraesentantur et describuntur. Obtinent autem superiorem paginarum partem figurae coloratae, quibus subiuncti sunt tituli rubro atramento picti; subsequuntur inferius descriptiones, in quibus sicuti in C praecedere solent synonyma, postponi autem capita ex materia medica Dioscuridis plerumque petita.

---

[1]) De codice Neapolitano herbarii Dioscuridei cf. imprimis B. de Montfaucon Palaeogr. gr. p. 195 ss.; A. F. Kollarius Suppl. I p. 343 ss.; I. C. G. Ackermann in Fabricii Bibliotheca gr. (ed. Harles.) IV p. 685 s.; C. Sprengelius in praef. ad Dioscuridem I p. XVIII s.; V. Gardthausen *Griech. Palaeographie* p. 281; F. Cohn *Jahres-Bericht der Schlesischen Gesellschaft für vaterländische Cultur* LIX (1881) p. 302 ss.; Guil. Wattenbach *Anleitung zur griech. Palaeographie* ed. tert. p. 33 s.; V. Del Gaizo *Contributo allo studio delle fonti della storia della medicina* (*Bollettino della r. accademia medico-chirurgica di Napoli* III 1891), quam commentationem equidem inspicere non potui; M. Wellmann *Krateuas* p. 21 s.; idem Hermae XXXIII p. 375 ss. et Pauly et Wissowae encycl. V p. 1136. 1141. Multae aliae disquisitiones, quibus simul de libris C et N agitur, in hac secunda praefationis parte passim citatae sunt; v. praesertim cap. XIV. Primus, quod sciam, in herbis tractandis libri huius lectionibus et imaginibus usus est ineunte fere saeculo XVII Fabius Columna botanicus Italus, in cuius opusculo *Φυτοβάσανος* inscripto p. 4. 20. 24 (editionis Florentinae a. 1744 emissae) codicis Neapolitani mentio extat. De codicibus monasterii S. Ioannis de Carbonaria Vindobonam translatis copiosius egerunt anonymus quidam Italus (B. C.) *I codici della biblioteca del cenobio di S. Giovanni a Carbonara di Napoli... spediti a Vienna nel* 1718, qui libellus Neapoli a. 1890 seorsum impressus est ex ephemeridis *Eco di S. Agostino* a. IV fasc. II. IX, ubi codicis N p. 32 mentio fit; Ferd. Menčík bibliothecae Vindobonensis custos *Mitteilungen des österr. Vereins für Bibliothekswesen* VIII (1904) p. 133 ss. 170 ss.; IX (1905) p. 31 ss., qui de codice N l. c. VIII p. 176 s. n. LXX disputavit.

CAPUT XXII. DE RATIONE, QUAE INTER CODICES CONSTANTINOPOLITANUM ET NEAPOLITANUM INTERCEDAT.

Iam si quaestio proponitur gravissima, quaenam ratio inter codicem nostrum (C) et Neapolitanum saeculi VII (N) intercedat, certissimis argumentis ad eam perducimur sententiam, ut horum recentiorem N non ex C descriptum esse, sed herbarium Dioscurideum in utroque libro ex communi archetypo fluxisse existimemus.

Ac primum quidem in universum tenendum est easdem prorsus herbas in C et in N depictas et descriptas esse [1]. Nam quod haec vel illa herba in altero desideratur, quae in altero profertur, id nulli alii causae tribuendum est quam foliorum plurimorum iacturae, qua C passim in omnibus fere partibus, N in littera praesertim *Α* adfectus est. Maiorem sane capitum integrorum numerum codex N servavit (v. supra p. 77).

Ordo tamen, quo singulae herbae singulas intra litteras sese excipiunt, aliquantum differt in C et N [2]. Atque is, qui librum C descripsit, quam accuratissime eam, quam in archetypo invenerat, consecutionem reddidisse videtur, qua re factum est, ut syllogarum diversarum, ex quibus arche-

---

[1]) In indice vetusto, qui in C praemissus est Dioscurideo herbario, adferuntur *κάρπασσος* et *κύπρος* et *σεῦτλον λευκόν* (v. p. 66 n. 3). Quae herbae quod iam neque in C neque in N inveniuntur, etiam inde patet hos codices ex eodem exemplari derivatos esse, in quo capita illa tria alias in alphabeticam herbarii recensionem recepta desiderabantur.

[2]) Qua in quaestione tractanda statim adnotandum est ordinem, quo codicis N herbae aliquando processerant, hodie mirum in modum eo obscuratum et turbatum esse, quod et singula folia et integri quaterniones in codice denuo compingendo transposita sunt, ita ut in ipsum litterarum contextum fragmenta ad alias litteras pertinentia intrusa sint. Antiqua tamen herbarum in N consecutio erui potest cum aliis ex vestigiis, tum ex indicibus saeculo fere XIII vel XIV codice nondum turbato conscriptis, qui singulis seriebus praemissi sunt. Qua in re excipienda est *Α* littera, cuius catalogus una cum codicis exordio periit. V. supra p. 77.

typum concinnatum fuisse infra (cap. XXIII) demonstrabitur, multo plura vestigia in C conservata sint quam in N. E contrario is, qui codicem N composuit, quamquam alphabeticum ordinem retinuit, haud pauca immutavit. Primum enim, quoniam binae ternaeve herbarum imagines cum suo textu in singulis foliis rectis collocabantur, capita ita seligenda erant, ut spatium sufficeret. Deinde herbae eiusdem nominis, quae in C ad archetypi ex variis herbarum syllogis conflati exemplum magno persaepe intervallo inter se dirimuntur, in N omnes fere inter se consociatae sunt; veluti in eisdem paginis componuntur ἄγχουσα et ἄγχουσα ἑτέρα, πτέρις et πτέρις ἑτέρα, ζμίλαξ τραχεῖα et ζμίλαξ λεία, quarum altera codice C in serie Ζ litterae, altera intra Σ litteram proponitur. His et nonnullis aliis de causis, quas accuratius persequi huius loci non est, evenit, ut ordo codicis N, siquidem singula respicimus, a C sat multis locis differat [1]). Si vero universam herbarum per singulas litteras consecutionem spectamus, eodem fere modo, ut in codicibus, qui ad eundem archetypum referuntur, par est, capita et in C et in N procedere cognoscuntur. Quae cum ita sint, in libri C lacunis definiendis et supplendis persaepe codice N uti poteramus (cf. supra cap. XII n. 5).

Sed postquam in universum docuimus utrique codici easdem inesse herbas eadem fere ratione ordinatas, transeamus ad imagines textumque herbarum, quas in ambobus consimili prorsus modo et repraesentari et describi manifestum est. Figuras enim utroque libro traditas si diligenter comparamus, maximam partem simillimas esse elucet, ita ut minime dubium sit, quin eadem forma in communi archetypo depictae fuerint. Cui sententiae minime obstat, quod herbae codicis N rudiore quidem artificio moduloque minore, sed secundum virorum rei herbariae consultorum iudicium [2]) maiore veritatis studio delineatae sunt. Verum tamen in tanta imaginum congruentia

---

[1]) In serierum praesertim Z, Λ itemque Θ, Φ ordinatione duo codices vetustissimi quam maxime inter se consentiunt.

[2]) Cf. F. Cohn l. c. p. 309.

non desunt quaedam, in quibus codices C et N vel maxime inter se discrepent [1]). His autem adnumeranda videntur *ἀργεμώνη* (C f. 28^v; N f. 10^r); *βούγλωσσον* (C. f. 76^v; N f. 28^r); *βλῆτον* (C f. 77^v; N f. 32^r); *γναφάλλιον* (C f. 94^r; N f. 34^v); *νυμφαία*, quae in C (f. 239^r) similis *θηλυπτέριδι* et *πτέριδι ἑτέρᾳ* repraesentatur (cap. XXIII n. I, 2), in N vero (f. 104^v) speciem verbis Dioscuridis magis accommodatam praebet. Qua in re mitto omnes figuras hac vel illa parte inter se differentes, quarum tamen habitus universus fere convenire videatur [2]); facile enim imagines iterum atque iterum depictae in deterius perverti poterant, id quod in eiusmodi herbariis persaepe accidisse iam Plinius nat. hist. XXV 8 queritur. In figuras autem numero satis exiguas, quas modo composuimus, inter se diversissimas haec explicandi ratio minime quadrat. Quas si accuratius conferimus, haud difficile intellegitur N eas praebere imagines, quae textui Dioscurideo magis conveniant. Is igitur, qui vel librum N vel codicem inter archetypum et Neapolitanum quasi medium conficiendum curavit, cum archetypo nonnullas imagines falsas vel minus idoneas inesse animadvertit, in harum locum aptiores et emendatiores substituisse videtur. Contra in C non solum herbarum consecutio minus persaepe utilis, sed etiam imaginum forma, etsi textui parum aptae erant, sine ulla mutatione recepta est, ita ut hac quoque in re ad archetypum quam proxime accedat.

Idem fere, quod de imaginibus enuntiavimus, iudicium in textum quadrare videtur, qui in utroque libro ex synonymis et descriptionibus ex Dioscuride plerumque repetitis constat. Etenim Neapolitani textus in universum cum Constantinopolitano congruit, quamquam minore quidem elegantia, sed maiore cum cura scriptus, in singulis sat multas continet lectiones praestantiores. Ad idem autem exemplar utrumque referendum

---

[1]) Id quod observavit C. Weigelius in Baldingeri ephemeride *Medicinisches und Physisches Journal* VIII (1793), 29.—32. *Stück* p. 10.

[2]) Eiusmodi sunt v. c. *ἀνδράφαξις, βούνιον, βρυωνία μέλαινα, γεράνιον, γεράνιον ἕτερον, γαλαίυψις, γεντιανὴ, ἐλλέβορος λευκὸς, ἐλλ. μέλας, ἐλαφόβοσκον, ζμίλαξ τραχεῖα, θέρμος ἄγριος, ἱππολάπαθον*, alia.

esse inde etiam comprobatur, quod modo C, modo N integriora praebet huius recensionis verba. In synonymis vero recensendis nonnumquam N praeferendum esse, postquam C. Sprengelius adnotavit [1]), accuratius demonstravit Wellmannus [2]), qui nonnulla eius generis in C omissa sive confusa in solo N vel servata vel rectiore ordine tradita esse exposuit.

CAPUT XXIII. DE PARTIBUS, EX QUIBUS HERBARII ARCHETYPUS CONFLATUS SIT.

Coaluisse herbarium Dioscurideum, quale libris C et N traditur, ex partibus tribus distinctis, postquam a prioribus aliquatenus perspectum est [3]), Wellmanni imprimis commentationibus saepius citatis iam constat; quam rem in capitibus, quae praecedunt, iterum atque iterum attigimus. Totius autem operis principium quasi et fundamentum in herbarum figuris secundum litteras digestis positum est, quibus duae reliquae herbarii partes, videlicet synonymorum catalogi et capita Dioscuridea accommodanda erant. Sed et hoc ipsum figurarum corpus diversis ex partibus concrevisse equidem persuasum habeo.

Plurima enim in codice nostro et luculentissima vestigia comparent, quibus indicatur communem librorum C et N archetypum ita concinnatum fuisse, ut figuris herbarum syllogae antiquioris per litteras distributae nova quaedam imaginum copia aliis ex fontibus petita adiceretur. Quam quaestionem si examinare libet, proficiscendum est a v e t u s t o i l l o i n d i c e eleganter ornateque conscripto, quem in codice C (deest enim in N) inde a folio 8^r—10^v herbario Dioscurideo praemissum esse supra (cap. XIII) exposuimus. Hoc indice, quem ad originem recensionis alphabeticae Dioscuridis recte cognoscendam summi esse momenti viri docti nondum intellexerunt, non omnes herbae in ipso contextu repraesentatae et tractatae

---

[1]) V. praefationem ad Dioscuridem I p. XVIII.

[2]) Hermae XXXIII p. 376.

[3]) Cf. Lambecius Comment. ed. Kollar II p. 256 ss.

enarrantur, sed pars tantum certa arctioribus limitibus circumscripta. Duae ergo, si ad indicem attendimus, classes herbarum per singulas litteras inter se coniunctae inveniuntur, altera earum, quae indice enumerantur, altera vero herbarum, quae in indicem non sunt receptae. Iam quemadmodum intra unamquamque litteram duarum classium herbae sese excipiant, ex codicis conspectu, quem infra parta quinta subiungemus, facillimo negotio cognosci poterit; in quo indicem vetustum cum ea, quae in contextu exhibetur, herbarum serie composuimus. Quam ob rem pauca generatim hic monuisse sufficiat. Intercedunt autem per singulas litteras inter duas illas classes, quas brevitatis causa numeris I et II notabimus, hae fere rationes:

1) Herbae universae indice continentur pertinentque ad classem I in *ΒΞΨΩ* litteris.

2) Herbae indice receptae (I) universae praecedunt classem earum, quae extra indicem versantur, (II) in *ΔΝΟ* litteris. Quod si formula exprimere licet, habemus: I + II.

3) Classis I pars maior praecedit, sequitur moles II, finem facit classis I pars minor; quod evenit in *ΑΓΗΛΡΤΦΧ* litteris. Cuius consecutionis formula haec est: I + II + I.

4) Classis II universa praemissa est moli I in *ΕΖΘΠΥ* litteris. Est igitur: II + I.

5) Series magis promiscuae reperiuntur in litteris *Ι*, cuius haec est formula II + I + II + I + II, deinde *ΚΜ* itemque *Σ*, in quibus omnibus ordo, quo herbae in indice recensentur, in ipso contextu compluribus locis immutatus est.

Haec si perlustramus, paucissimis exceptis duo herbarum genera ita conexa esse videmus, ut alterum cum altero non sit permixtum, sed utraque classe per singulas litteras corpuscula quasi compacta unum vel compluria efficiantur.

Neque alia in C deficiunt indicia, quibus demonstretur in librorum C et N archetypo communi ad molem illam principalem, cuius capita in indicem vetustum recepta sunt, supplementa quaedam aliunde petita accessisse.

I. Primum enim nonnumquam evenit, ut eadem herba diversis sub titulis duobus locis picta et descripta extet. Cuius generis haec reperiuntur exempla:

1) *Ἡγίλωψ* inscribitur herba, cuius textus f. 127v, figura f. 128r exhibetur, in indicem recepta f. 8v. De eadem caput extat in serie *A* litterae sub inscriptione *Αἰγίλωψ*, cuius imago f. 56v, textus f. 57r obtinet. Certissimum est eandem herbam utraque figura repraesentari, quamquam delineandi et pingendi ratione valde has inter se differre infra (n. IV) demonstrabimus; porro utrobique idem adscriptus est textus ex Dioscuridis materia medica (IV 137 p. 619 Spr.) depromptus.

In codice N haec herba uno tantum loco sub *A* littera f. 13r proditur *αἰγίλωψ* appellata. Is igitur, qui aut ipsum N aut medium quoddam inter archetypum et N exemplar exaravit, duobus locis idem argumentum tractari animadverterat herbamque altera vice omiserat.

2) *Θηλύπτερις*, cuius textus f. 141v, figura f. 142r extat (cf. N f. 39r), in indicem recepta haud diversa videtur ab illa herba extra indicem collocata, cui nomen *πτέρις ἑτέρα*, cuius textus f. 256v, imago vero f. 257r habetur (cf. N f. 101r). Figuris, quae inter se haud multum differunt[1]), idem fere, si leves differentias neglegimus, textus additur ex Dioscuridis materia medica IV 184 (p. 678 s. Spr.) excerptus[2]).

3) Simile quid evenisse videtur in herba, cui nomen est *βαλλωτὴ ἢ μελαμπράσιον*. Quae in C singulari quodam casu omnino iam desideratur; duobus tamen locis olim extitisse videtur[3]), semel extra indicem sub *B* littera in folio quodam, quod excidit inter f. 76 et 77[4]), iterum inter herbas *M* litterae, in

[1]) Id quod ante nos observavit F. Cohn vir rei botanicae peritissimus *Jahres-Bericht der Schlesischen Gesellschaft für vaterländische Cultur* LIX (1881) p. 311.

[2]) F. 141v haec invenimus synonyma: *οἱ δὲ νυμφαίαν πτέριν ὀνομάζουσιν*; f. 256v: *οἱ δὲ νυμφαίαν πτέριν, οἱ δὲ καὶ ταύτην θηλυπτέριδα ὀνομάζουσιν*. Deinde *πτέριδος ἑτέρας* descriptio in fine una sententia, quae in *θηλυπτέριδι* desideratur, auctior est. In lectionibus quibusdam textus inter se aliquantum discrepant.

[3]) V. conspectum codicis, quem infra parte quinta proponemus.

[4]) Herbas enim easdem prorsus libris C et N comprehendi supra (cap. XIV. XXII) notavimus; iam si series *B* litterae in utroque comparamus, in C deest herba una in lacuna illa deperdita. Quam ego quidem adfirmaverim haud diversam esse ab illa herba, quae in N abundat, videlicet *βαλλωτὴ ἢ μελαμπράσιον*.

quarum serie indice vetusto recensetur *μελαμπράσιον ἢ βαλλωτή*. Sed hoc quoque loco excidit *μελαμπράσιον* foliorum complurium inter 233 et 234 olim collocatorum interitu. In N semel tantum f. 31ʳ exhibetur *βαλλωτὴ ἢ μέλαν πράσιον* adiecto Dioscuridis textu III 107 (p. 452 s.).

Hoc loco observandum est etiam intra ipsam illam herbarum classem, quae extra indicem versatur, duplicem unius herbae mentionem reperiri. Huc enim pertinent *ἡλιοτρόπιον τὸ μικρὸν* f. 130ᵛ descriptum, f. 131ʳ delineatum (cf. N f. 81ʳ) [1]) et *σκορπίουρον ἕτερον*, cuius figura f. 317ᵛ, textus f. 318ʳ extat (cf. N. f. 135ʳ) [2]). Quorum imaginibus, quae inter se parum discrepant, idem utrimque textus adiectus est, quo apud Dioscuridem IV 191 p. 684 s. *ἡλιοτρόπιον τὸ μικρὸν, οἱ δὲ σκορπίουρον* describitur.

Neque aliter res se habere videtur in alia quadam herba, quae vulgo *ἠριγέρων* appellatur. Etenim in C inter eas herbas *E* litterae, quae in indice omissae sunt, *ἐριγέρων* invenitur f. 102ʳ descriptus, f. 110ʳ delineatus. In N autem habetur *ἠριγέρων* in *H* littera f. 78ʳ. Utroque loco accedit textus ex Dioscuride IV 95 (p. 590) depromptus, sed ita comparatus, ut recensio, quam C sequitur, ab N valde discrepet. Videtur autem haec herba ex duobus exemplaribus diversis, in quorum altero *ἐριγέρων*, altero *ἠριγέρων* appellata erat, in archetypum bis recepta esse, ex quibus mentionibus altera in C, altera in N relata est.

II. Porro sententia, quam proposuimus, eis quoque commendari videtur, quae in utriusque classis ordinatione observantur. Atque primum quidem prioris classis herbae eae, quae vocabulis similibus appellantur, et in indice et in ipso herbarii contextu inter se consociari solent, ita ut v. c. *ἀείζων τὸ μέγα* proxime excipiant *ἀείζων τὸ μικρὸν* et *ἀείζων τὸ λεπτόφυλλον*, vel *μαλάχην κηπαίαν* sequatur *μαλάχη ἀγρία χερσαία*. Idem fere notatur intra alterius generis herbas. Aliter autem res se habet in eis

---

[1]) In textus initio haec verba leguntur: *οἱ δὲ καὶ τοῦτο σκορπίουρον ἐκάλεσαν· ἑτέρα δὲ σκορπίουρος*.

[2]) In synonymis legitur: *σκορπίουρον ἕτερον· οἱ δὲ ἡλιοτρόπιον τὸ μικρόν*. In descriptione, quae sequitur, omittuntur verba in adn. praecedente exscripta.

herbis similis nominis, quarum alterae ad classem in indicem relatam, alterae ad molem extra indicem positam pertinent; quae eis in partibus, ubi utrumque herbarum genus in singulis litteris uno vel compluribus corpusculis continentibus exhibetur, longo interdum intervallo inter se disiunguntur, veluti ἀργεμώνη classis prioris (f. 28^{v} s.) et ἀργεμώνη ἑτέρα alterius classis (f. 57^{v} s.). Qua in re evenit, ut herba epitheto ἑτέρα ab alia distincta in contextu etiam praecedat; veluti inveniuntur ἄγχουσα ἑτέρα cl. II f. 61^{v} s., ἄγχουσα cl. I f. 70^{r} s.; πτέρις ἑτέρα cl. II f. 256^{v} s., πτέρις f. 266^{r}. In eis sane codicis partibus, ubi duae illae classes magis inter se permixtae extant, utriusque generis herbae similiter appellatae inter se coniungi solent, veluti f. 221^{v} ss., ubi μήκωνος species proponuntur.

Ea quae modo exposuimus, illis locis maxime conspicua sunt, ubi herbae similibus nominibus appellatae propter orthographiae differentiam diversis seriei alphabeticae sedibus exhibentur. Nam C f. 124^{v} et 125^{r} ζμῖλαξ τραχεῖα, quae item in indice habetur, inter herbas Z litterae collocata invenitur; contra σμῖλαξ λεία, quae indice non recepta est, f. 332^{v} et 333^{r} adest Σ litterae inserta. In codice autem N f. 77^{r} hae duae herbae in serie Σ compositae sunt.

Sed idem observare licet in ipsa illa classe, quae extra indicem posita est. Herba scilicet, cui ἱπποφαὲς nomen, in C (f. 146^{v} et 147^{r}) sub *I* littera proditur; idem de N, ubi iam excidit, testatur index saeculo fere XIV f. 39^{v} exaratus. Contra herba quaedam adfinis, quae vulgo ἱπποφάεστον vocatur, in C (f. 353^{v} et 354^{r}) et in N (f. 147^{r}) ὑποφάεστον scribitur seriei *Y* attributa. In Dioscuridis vero materia medica hae duae herbae, quarum nomina tradi videntur ἱπποφαὲς et ἱππόφαιστον, sese excipiunt IV 159. 160 (p. 647—649 Spr.). Ex hac igitur orthographiae diversitate concludere licebit harum herbarum figuras, quibus textus Dioscuridis accommodatus est, ex diversis fontibus haustas esse.

III. In codicis principio intra serierum *A* et *B* ambitum peculiaris quaedam differentia agnoscitur inter classem indice relatam et reliquarum herbarum molem. Fragmenta enim ex Crateuae herbario et Galeni libris περὶ δυνάμεως φαρμάκων ex-

cerpta, quae hac in parte nonnumquam descriptionibus Dioscurideis accedere supra (cap. XIX. XX) exposui, eis tantum herbis adiuncta sunt, quae in indice enumerantur. Id maxime conspicuum est in *Α* littera. Ibi f. 12ʳ—43ʳ praecedunt herbae indicis triginta duae, quibus capita Crateuae et Galeni passim addita inveniuntur. Subsequuntur f. 43ᵛ—68ᵛ herbae viginti quinque, vel, si deperditas una computamus, viginti octo ab indice alienae, ex quibus ne una quidem eiusmodi excerptis illustratur. Neque tamen ea res inde explicari potest, quod Galenus — de Crateua nihil constat — has herbas memorare neglexerit; nam magna earum pars in libro VI *περὶ δυνάμεως φαρμάκων* tractatur[1]). Agmen claudunt f. 70ʳ—73ᵛ capita in indicem recepta quattuor, quibus *αἶρα* f. 71ʳ et f. 71ᵛ adicienda videtur[2]). Hac in serie, id quod primu obtutu satis conspicuum est, denuo oculis sese praebent fragmenta illa ex Crateuae et Galeni scriptis petita, ex quibus Galeniana in seriebus *Β* et *Γ* continuantur. Iam cognoscimus duas illas, quas diximus, classes ex diversis exemplaribus confluxisse, ex quibus unum, cuius ambitus indice vetusto indicatur, figuris herbarum excerpta ex Crateua et Galeno adiuncta habebat, reliqua vero his additamentis carebant.

IV. Sed vel maxime duae illae classes ratione picturarum, quas communis iam librorum C et N archetypus exhibebat, inter se differunt. Qua in re sane praemittendum est eam quaestionem hoc loco attingi tantum, non absolvi posse, quippe quae speciali disquisitione indigeat; exoriuntur enim curiosius inquirenti haud spernendae difficultates in eo praesertim positae, quod similitudines vel differentiae, quae in imaginum artificio observantur, et in ipso archetypo et in eo,

---

[1]) Veluti *ἄρκτιον* VI c. 58 vol. XI p. 837 ed. K.; *ἀμμωνιακή* c. 37 p. 828; *ἄλυσον* c. 24 p. 823; *ἀνθυλλὶς* c. 46 p. 833; *ἀκάνθιον* c. 15 p. 818; *ἀπαρίνη* c. 50 p. 834; *αἰγίλωψ* c. 9 p. 815; *ἄκορον* c. 18 p. 819; alia.

[2]) Deest quidem *αἶρα* in indice; sed mero errore eam omissam esse veri simile est, cum media inter herbas indice relatas collocata sit eiusque figura illam pingendi rationem, quae herbis classis prioris propria est, apertissime exhibeat (cf. n. IV). Accedit, quod f. 71ʳ Galeni fragmentum adscriptum est.

qui inde depingebatur, codice C magnam quidem partem ex proprietate eorum exemplorum, quae exprimebantur, partim vero etiam ex variorum pictorum, qui in his exemplis imitandis occupati erant, consuetudinibus repetendae sunt, ita ut v. c. respicere debeamus eiusdem generis figuras a diversis artificibus diverso modo redditas esse. Neque ex N, cuius imagines ad eundem archetypum redeunt, sed multo rudiore artificio omnibus inter se exaequatis differentiis pictae sunt, aliquid ad hanc rem expediendam lucrari posse videmur. Harum difficultatum, si, quantum fieri potest, ratio habetur, magnus tamen relinquitur numerus imaginum, ex quibus in universum colligere licet duabus illis classibus respondere duo figurarum genera diversissimam delineandi et pingendi rationem exhibentia.

Etenim eorum capitum, quae in indicem recepta priori classi adnumerantur, figurae longe plurimae plastica quadam delineandi et colorandi arte factae herbas ita repraesentare solent, ut magna foliorum, stirpium, florum, ramorum abundantia instructae corporeae quasi amplumque undique spatium explentes intuentium in oculos prosiliant et sicuti in vivis herbis, ita et in his simulacris partes aliae eminere, aliae recedere videantur. Caules vero et radices non ad commune quoddam schema, sed sat bene ad ipsarum herbarum proprietatem expressa sunt; porro rami et folia artificiosa plerumque ratione, quae nisi a pictore habili et sciente neque excogitari neque exprimi poterat, inflexa vel replicata sese intersecant; flores deinde non solum superiore ex parte, verum etiam a latere sive ex ima parte conspiciuntur; in colorum denique commissuris et transitu magna ars agnoscitur, ita ut in viridi praesertim, sed et in aliis coloribus differentiae tenuissimae optime exprimantur. Quae cum ita sint, apparet primum harum imaginum auctorem, cuius exempla in archetypo et inde in C depicta sunt, id egisse, ut non solum herbarum formas speciesque, quod medicorum et pharmacopolarum usibus sufficeret, satis recte adumbraret, sed etiam opus pictorium ederet politissima arte perfectum.

E contrario figurae alterius classis, quae extra indicem

posita est, haud multis, quae melioris notae videntur, exceptis mirum quantum ab illa delineandi et pingendi ratione discrepant. Quarum plerisque, si spatiosis illis prioris generis picturis comparantur, multo gracilior et tenuior forma communis est, ut quam paucissimis foliis ramisque praeditae summamque redactae ad simplicitatem et nuditatem, minus latae, sed in longitudinem magis porrectae effingantur, partes vero singulae neque prominere neque recedere videantur, sed planae omnino, ut ita dicam, et inter se exaequatae cernantur. In foliis quoque et ramis componendis et distribuendis omnia, quibus difficultas aliqua inesse videbatur, a pictore evitata sunt, ita ut hae herbarum particulae ad certum quoddam schema semper fere observatum sese intersecent. Caules vero ad regulam quasi derecti et radices nullibi fere naturalem vivae herbae rationem imitantur. Neque tenues colorum differentiae diligentius exprimuntur, sed viridis imprimis color semper eodem fere modo redditur. Ii igitur, qui huius classis figuras effinxerunt, simulacra ad elegantiorem artis pictoriae normam conficere neque poterant neque fortasse cupiebant, eo contenti, ut herbarum adumbrationes medicis idoneas proderent. Neque mihi quidem veri dissimile videtur harum praecipue figurarum exemplaria prima maximam partem ad herbas non vivas viridesve, sed exsiccatas delineata esse [1]).

Ea, quae modo disputavimus, dilucidis exemplis illustrari possunt. Atque primum quidem legentes ipsos inspicere velim figuras eiusdem herbae, cui *αἰγίλωψ* nomen, bis propositas, de quibus supra (p. 103) iam dictum est, quarum altera sub lemmate *ἠγίλωψ* in indicem relata f. 128ʳ exhibetur, altera in indicem non recepta adscripto nomine *αἰγίλωψ* f. 56ᵛ invenitur. Quae quidem imagines, quamquam ad eandem herbam eas pertinere statim agnoscitur, tota delineandi et pingendi ratione quam maxime inter se discrepant. Porro ad diversitatem

[1]) Cuius rei in figuris utriusque classis vestigia quaedam deprehendere sibi videtur H. Stadler in ephemeride Bavarica *Blätter für das Gymnasial. Schulwesen* XXXIV (1898) p. 611, qui colorem inde explicat pullum, quem flores *μώλυος*, *κυάμου*, *κλυμένου*, *φασιόλου* natura albi in C exhibent.

illam artificii demonstrandam utilissimae videntur picturae herbarum ipsa natura consimilium ex utraque classe inter se collatae; cuius rei pro sat multis unum exemplum proponere satis habeo, ἄγχουσαν scilicet in indicem receptam et f. 70^{v} repraesentatam, quam cum ἀγχούσῃ ἑτέρᾳ alterius classis f. 61^{r} proposita accurate comparare operae pretium est. Sed ut singula mittamus, universam quidem duarum classium differentiam per totum codicis contextum optime persequi licet; maxime autem in seriebus *Α, Β, Γ* ea perspicitur, ubi figurae capitum in indicem relatorum f. 12^{v}—42^{v}, f. 70^{v}—89^{v}, f. 94^{r}, 95^{r} collocatae, quibus fragmenta quoque Crateuae et Galeni adposita esse paulo ante (n. III) monuimus, incredibile quantum arte pictoria alterius classis imaginibus praestant, quae f. 43^{v}—68^{v} et f. 90^{v}—92^{r} illis interiecta sunt. Inter haec autem diversitas, de qua agitur, luculentissime illustratur prima alterius classis herba, quae sub lemmate ἄρκτιον f. 43^{v} proponitur, collata cum figuris prioris generis, quae proxime antecedunt. Monendum autem est hanc codicis partem, quae folia fere centum priora complectitur, separatum fortasse tomum aliquando effecisse (cf. cap. VI), qui utpote herbarii primus multo maiore cum diligentia scriptus et pictus est quam reliqua, idemque valere de illa archetypi parte, unde hoc codicis exordium expressum est. Contra ea, quae subsequuntur, neque pari cura neque ex tam vetusto et bono herbarii exemplari depicta esse videntur, qua re factum est, ut elegantiae, quae prioris classis picturis propriae sunt, cum per tot depingentium manus traderentur, aliquantum imminutae atque differentiae illae, quamvis etiam his in partibus a diligentius inspicientibus satis bene cognoscantur, inter se aliquatenus exaequatae sint.

Liceat hic paulum subsistere paucisque verbis complecti, quid praecedente disputatione de communi codicis C et N archetypo effecisse nobis videamur. Antiquo igitur illo indice ambitus indicatur syllogae vetustioris in ordinem alphabeticum redactae, in qua herbarum picturis magna cum arte confectis passim fortasse, quamquam in C in litteris tantum *Α, Β, Γ* inveniuntur, excerpta ex Crateuae herbario et Galeni libris περὶ δυνάμεως

φαρμάκων addita erant. Antiquior haec sylloge una cum suo indice in archetypum codicum C et N translata est, ita tamen, ut huic principali quasi stirpi altera herbarum classis supplementorum loco diversis ex fontibus aliunde deprompta accederet. Picturae alteri classi additae, quamquam non omnes ad unum exemplar redeunt, in universum tamen eis, quae in vetustiore sylloge inveniuntur, et veritate et elegantia cedunt, neque is, qui haec concinnavit, Crateuae et Galeni libros in eis adhibuit. In duabus vero, quas modo memoravimus, herbarum classibus contaminandis erroribus quibusdam obnoxium eum fuisse inde apparet, quod hanc vel illam herbam, quam addidit, non perspexit in vetere sylloge vel in ipsis supplementis alio loco tractari neque herbarum nomina diversis in fontibus diversa orthographia scripta ad unam normam exaequanda esse cognovit. Figuris denique herbarii, quam optime fieri poterat, collectis et compositis novus textus accessit, qui synonyma et descriptiones Dioscurideas complectitur.

CAPUT XXIV. DE HERBARII DIOSCURIDEI ORIGINE ET FONTIBUS.

A. Sed iam quaeritur de auctore syllogae illius antiquioris, cuius ordinem, lemmata, picturas ex indice vetusto et ipso herbario cognovimus. Qua in re cautissime agamus necesse est. Atque primum quidem proponamus gravissimum omnium, quae ad nos pervenerunt, testimonium de veterum herbariis pictis, quod in Plinii nat. hist. XXV 8 legitur:

Praeter hos Graeci auctores prodidere, quos suis locis diximus, ex his Crateuas, Dionysius, Metrodorus ratione blandissima, sed qua nihil paene aliud quam difficultas rei intellegatur. Pinxere namque effigies herbarum atque ita subscripsere effectus. Verum et pictura fallax est coloribus, tam numerosis praesertim in aemulationem naturae, multumque generat transscribentium fors varia. Praeterea parum est singulas earum aetates pingi, cum quadripertitis varietatibus anni faciem mutent.

Atque ex tribus his herbariis, quae picturis illustrata erant, unum Crateuae nobis melius innotuit ex Wellmanni potissimum libello saepius iam laudato, cui Crateuas inscriptum est [1]. Cuius commentationis summam paucis ut comprehendamus, diversum erat herbarium illud a libris ῥιζοτομικῶν ab eodem Crateua compositis, popularium magis usibus destinatum eamque ob causam secundum litteras distributum. In quo herbarum imaginibus, de quibus Plinius copiosius disputat, subiecta erant auctoris verba, quibus non descriptiones specierum, sed effectus tantum continebantur. Eiusdem autem generis sunt excerpta illa codice C in serie *Α* litterae servata, quibus inscriptum est Κρατεύας sive Κρατεύας ῥιζοτόμος sive Κρατεύας ῥιζοτομικὸς, ubi ῥιζοτομικὸς non de libris illis ῥιζοτομικῶν, sed quasi auctoris cognomen intellegendum esse veri simile est (cf. cap. XIX). Haec igitur fragmenta, quibus effectus tantum indicantur, ex Crateuae illo herbario picto petita esse sat probabilis est Wellmanni sententia.

Quibuscum si comparamus syllogen vetustam, quam nostro codici inesse diximus, remotis supplementis, de quibus disputatum est, sat multa sane inveniuntur, quibus illam si non totam, tamen quadam ex parte ad Crateuae herbarium redire persuadeamur. Atque primum quidem iam Wellmannus [2] plurima argumenta composuit, quibus efficitur in eis, quae codice nostro continentur, praesertim in herbarum vocabulis atque in numeris et discriminibus specierum depictarum satis certa vestigia eorum agnosci posse, quae Crateuas de herbis quibusdam docuerat, Dioscurides autem, quamquam in plurimis Crateuam auctorem secutus est, in materia medica tacite vel etiam expressis verbis reiecerat. Qua in re adnotandum est, id quod Wellmannus nondum perspexerat, omnia eiusmodi documenta priore, quam statuimus, herbarum classe, id est sylloge illa vetusta contineri.

---

[1] M. Wellmann *Krateuas, Abhandlungen der königl. Gesellschaft der Wissenschaften zu Göttingen, philol.-hist. Classe,* N S II 1 (1897). V. praeterea G. Thiele De antiquorum libris pictis (Marpurgi Cattorum 1897) p. 33 s.; G. Swarzenski *Jahrbuch des kaiserl. deutschen archaeol. Instituts* XVII p. 45 s.

[2] *Krateuas* p. 26—32.

His autem argumentis unum fortasse addere licebit, quod aliorum doctrinae herbariae me debere profiteor. Vituperat enim Dioscurides mat. med. II 207 (p. 324 s. Spr.), ubi anemone describitur, antiquiores quosdam his verbis: *Ἔνιοι δὲ, μὴ δυνάμενοι διορίζειν ἀπὸ τῆς ἀγρίας ἀνεμώνης τὴν λεγομένην ἀργεμώνην καὶ τὴν ῥοιάδα μήκωνα ... διὰ τὸ τῶν ἀνθῶν ὁμόχροον, φοινικοῦν ὑπάρχον, πλανῶνται κτλ.* Quae quidem eisdem fere verbis redeunt apud Plinium nat. hist. XXI 165, unde probabile est ea ex illo auctore sumpta esse, qui Plinio cum Dioscuride communis est, id est ex Sextio Nigro [1]). In eorum vero numero, qui anemonen silvestrem non satis bene a papavere, cui rhoeas nomen, distinguebant, videtur et scriptor ille fuisse, ex cuius herbario *ἀνεμώνη ἡ φοινικῆ* f. 25^{v} depicta est, quam viri rei botanicae periti non anemones Dioscurideae, sed papaveris et quidem *μήκωνος ῥοιάδος* speciem prae se ferre iudicaverunt [2]). Quocum optime convenit, quod secundum indicis (f. 9^{r}) testimonium tria quidem papaveris genera, quae *μήκων ἀφρώδης, μήκων ἄγριος, μήκων κερατίτης* vocantur, sylloge illa vetusta comprehensa erant, ea vero species, cui *μήκων ῥοιὰς* nomen, in indice desideratur, in herbarii contextu f. 223^{v} aliunde suppleta est. Cuius quidem figura herbam exhibet, quam ei, quae f. 25^{v} sub lemmate *ἀνεμώνη ἡ φοινικῆ* aliud ad exemplum proponitur, re vera simillimam esse nemo negabit [3]). Illam igitur anemones in codice nostro formam ipsi Crateuae deberi vel ex temporum ratione colligitur, quod Sextius Niger aetatis Caesaris Augusti scriptor, cum errorem illum vituperaret, vix alium atque Crateuam respicere poterat; accedit autem, quod ipsum lemma

---

[1]) Cf. de ratione, quae inter Nigrum, Plinium, Dioscuridem intercedat, Wellmann Hermae XXIV p. 530 ss.

[2]) V. H. Stadler *Blätter für das Gymnasial-Schulwesen* XXXIV (1898) p. 611: *Der Kodex C (bietet) als* ἀνεμώνη ἀγρία (φοινικῆ) *eine deutliche Papaveree (etwa Papaver Argemone)*; praeterea O. Penzig *Contribuzioni alla storia della botanica* (Mediolani 1905) p. 253 s., qui haec habet de figura anemones in codice Chigiano saec. XV (f. 7^{r}) ex nostro expressa: *Qui è figurato senza alcun dubbio il* Papaver Rhoeas *L.*

[3]) Cf. de hac figura F. Cohn l. c. p. 311; Penzig p. 265.

ἀνεμώνη ἡ φοινικῆ codice C traditum, id quod Wellmannus [1]) demonstravit, ex Crateuae doctrina pendet atque f. 26[r] textui Dioscurideo excerptum, cui inscribitur ἀνεμώνη ἡ φοινικῆ, Crateuae ex herbario adiectum est.

Porro ipsa fragmenta codice nostro intra Α litterae seriem tradita, quibus inscriptum est Κρατεύας ῥιζοτόμος vel ῥιζοτομικὸς, favere videntur sententiae illi, quam proposuimus, in herbario plurima ex Crateua petita esse. Videntur enim una cum imaginibus herbarii Crateuaei, quibus olim adiecta erant, in codicis nostri archetypum pervenisse.

His autem argumentis, quae ex ipsa herbarii indole deprompta sunt, quamvis dubitans aliud quoddam diversi generis adiungere audeo. In picturis enim celeberrimis, quae codicis nostri herbario praemissae sunt, tribus locis extant imagines, quibus nomen Διοσκουρίδης adscriptum est, f. 3[v] inter medicos et herbarios septem, f. 4[v] in pictura, qua mandragorae εὕρεσις effingitur, f. 5[v] in ea, in qua Dioscurides et pictor in mandragora describendo et depingendo occupati cernuntur. Sed cum Dioscuridis effigies duae f. 3[v] et 5[v] omni ex parte inter se consimiles medico praeclaro faciem barbamque oblongas, capillos nigros, nasum aduncum et acutum tribuant, mirum quantum differt imago folii 4[v] ex tribus illis media, qua homo capitis teretis, faciei obesae et infuscatae, barbae rotundae, nasi crassi, capillorum fuscorum exhibetur; qui, quamquam litteris albis supra caput nomen Διοσκουρίδης pictum est, maxima similitudine cum Crateuae imagine coniunctus est, quae in consessu medicorum f. 3[v] extat. Huic accedit, quod fabula illa de mandragora per canem extracto, ad quam pictura f. 4[v] adluditur, in ipsa Dioscuridis materia medica prorsus deest, contra a Crateua enarrata esse potest, quippe quae apud Flavium Iosephum de bello Iud. VII 23 sine dubio ex auctore quodam medico referatur. Quae cum ita sint, fortasse suspicari licet exemplum vetustum, ad quod pictura f. 4[v] expressa est, ipsum Crateuam repraesentasse et Crateuae herbario picto praemissum fuisse, postea vero hanc imaginem cum Crateuae

---

[1]) *Krateuas* p. 30; cf. p. 15.

herbis in syllogen illam veterem, deinde hac cum sylloge in herbarium Dioscurideum, quale nunc extat, translatam et Dioscuridis nomine inscriptam et altera pictura f. 5ᵛ, quam tum demum additam esse putaverim, quasi suppletam esse.

Verum hoc utcumque se habet, ceteris, quae protulimus, argumentis iam satis constat syllogen illam vetustam magna ex parte a Crateuae herbario picto pendere. Atque certo quidem Crateuaeis adnumerandae sunt omnes figurae, quibus excerpta Crateuae adiecta sunt, deinde illae, quas Wellmannus luculenta disputatione cum Crateuae doctrina quodammodo coniunctas esse demonstravit. His autem sine dubio multae aliae accedent, quandoquidem de Crateuae reliquiis, quae nondum omnes investigatae neque plene collectae sunt, melius edocti erimus atque eorum, qui artis pictoriae veterum historiam callent, ope proprietates imaginum ex Crateua depromptarum rectius perspexerimus. Quodsi vero Wellmannus argumentis, quae collegit, fretus statuit universi herbarii Dioscuridei ordinationem et figuras ad Crateuam referendas esse, [1] equidem ne de sylloge quidem vetusta, quam agnovimus, eandem sententiam proponere ausim. Neque enim omnes herbae, quas Crateuam tractasse constat, in hac inveniuntur; e contrario nonnulla insunt, quae a Crateua aliena esse apparet, veluti σαξίφραγον illud, quod latino vocabulo designatur, indicis f. 9ᵛ receptum et f. 290ʳ depictum [2]. Sed quibusnam auctoribus vetustae sylloges partes eas, quae Crateuae non sunt, attribuamus, non satis liquet, praesertim cum de herbariis pictis Dionysii et Metrodori [3], quorum nomina Plinius post Crateuam refert, nihil praeterea traditum habeamus.

Figuris igitur ex Crateuae aliorumque herbariis pictis cum suis lemmatibus in eum ordinem et ambitum redactis, quem index f. 8ʳ—10ᵛ indicat, per totum huius sylloges

---

[1]) Cf. *Krateuas* p. 30. 32; Hermae XXXIII p. 373; *Verhandlungen der 44. Versammlung deutscher Philologen* (1897) p. 55; Pauly et Wissowae encycl. V p. 1141.

[2]) Cf. etiam Stadler l. c. p. 612 s.

[3]) De utriusque auctoris aetate disseruit Wellmann *Krateuas* p. 20 adn. 27.

contextum adscripta esse videntur verba Crateuae et Galeni, quae in nostro codice in litteris tantum *Α*, *Β*, *Γ* manent. Servabat igitur sylloge illa antiquam herbariorum pictorum indolem, quorum figuris effectus tantum, non descriptiones addita fuisse Plinius auctor est (cf. supra p. 110). Neque tamen tempus, quo vetusta haec sylloge orta sit, exactius definiri potest, nisi quod pro certo adfirmare licet eam saltem recensionem, quae in communi codicum C et N archetypo adhibita erat, Galeno, cuius fragmenta adiecta erant, id est secundo p. Chr. n. saeculo fuisse posteriorem.

B. Haec iam sufficiant de veteris illius sylloges et fontibus et aetate. Huic vero totius rei quasi fundamento ab eo, qui archetypum codicum C et N composuit, varia figurarum supplementa diversis ex auctoribus rei herbariae addita esse supra (p. 101 ss.) exposuimus. Neque tamen, quinam hi auctores fuerint, satis perspicere possumus. Crateuaea sane, quae in sylloge vetere omissa sint, inter supplementa recepta esse haud temere pernegaverim, cum nulla eius rei vestigia ad hoc tempus innotuerint. Neque, si hic quoque de Dionysio vel Metrodoro cogitamus, aliquid proficimus [1]). Neque tamen omnem spem huius rei accuratius investigandae abiciamus necesse est. Extant enim figurae herbarum ad antiquitatis exempla depictae non solum in codicibus, quibus herbarium Dioscurideum traditur, sed etiam in libris manu scriptis quibusdam, quibus Dioscuridis materiae medicae textus primitivus continetur, veluti in Parisino gr. 2179 saeculi IX, et in eis, quibus tota materia medica Dioscuridis in alphabeticum ordinem redacta inest [2]). Quas

---

[1]) Extat quidem his in supplementis f. 235v herbae, cui μῶλυ nomen, figura, quae flores fusco colore pictos exhibet, id quod Wellmannus *Krateuas* p. 32 cum Plinii testimonio coniunxit nat. hist. XXV 27: *Graeci auctores florem eius luteum pinxere, cum Homerus candidum scripserit*. Quae si vera essent, suspicari possemus Crateuae, Dionysii, Metrodori herbaria picta — nam hi videntur *Graeci auctores* esse collato Plinii loco XXV 8 — etiam in supplementis componendis aliquid valuisse. Sed Stadlerus l. c. p. 611 recte puto contendit eiusmodi picturas haud raro confectas esse ad exemplaria herbarum exsiccata, in quibus flores albi minus apte tractati infuscari solent.

[2]) Veluti in Athoo monasterii Laurae saeculi XII, Marciano n. 92 saec.

figuras [1]) constat eis, quae codicibus C et N praebentur, partim simillimas esse, partim vero diversas. Neque ego, siquidem paucis, quae ex illis exemplaribus ad hoc tempus innotuere, confidere fas est, Wellmanno adsentiri possum, qui harum imaginum maximam partem ex alphabetica herbarum Dioscuridearum recensione, quae codicibus C et N servatur, in illos libros fluxisse contendit, differentias autem, quas attigimus, *transscribentium forte varia*, de qua iam Plinius conqueritur, generatas esse. Verum multo probabilius mihi quidem videtur eos, qui horum codicum figuras primi composuerunt, modo ex eisdem fontibus, qui in alphabetica recensione adhibiti erant, imprimis ex herbario Crateuae, modo ex diversis sua deprompsisse. His autem accedunt imagines in ipso C theriacorum paraphrasi Eutecnianae insertae, quarum aliquot ab herbario Dioscurideo alienae sunt, porro illae, quae in N habentur a figuris codicis C differentes (cf. supra p. 100), eae denique, quas in opusculi Apuleii de herbis codicibus pictis, veluti Vindobonensibus 92 et 97 reperimus. [2]) Quibus omnibus investigatis, plene collectis, inter se collatis, in classes distributis rectius nos de fontibus, exquibus veteres herbarum imagines petitae sunt, primariis iudicaturos spes videtur haud fallax esse.

Vetusta igitur illa sylloge, quam ad Crateuae herbarium pictum magna ex parte redire constat, et supplementis noviciis inter se concinnatis atque in eum fere ordinem, qui in C servatus est, redactis iam adiecti sunt catalogi synonymorum, quae ex Pamphili plerumque opere petita esse probabile est, atque de herbis capita, quibus iam non effectus tantum, sed

---

XIII, Cheltenhamensi Phillippsiano n. 21975; cf. Wellmann *Krateuas* p. 23 s. His accedunt in codice Chigiano F. VII. 159 herbarum series secunda et tertia, de qua disputat O. Penzig *Contribuzioni alla storia della botanica* p. 247 ss.; 272—279.

[1]) Virorum doctorum commentationes, in quibus imagines eiusmodi vel delineatae vel descriptae inveniuntur, supra (cap. XVI) composuimus.


[2]) De herbario latino picturis exornato, quod saeculo fere V vel VI ortum videtur, disputavit G. Swarzenski *Jahrbuch des deutschen archaeologischen Instituts* XVII p. 45 ss.

etiam descriptiones herbarum continebantur. Quae quidem capita longe plurima ex Dioscuridis materia medica hausta erant; paucissima autem, quae a genuino Dioscuridis textu aliena sunt (cf. cap. XVIII), ex auctoribus ignotis accesserant. Deinde, ubi e re visum est, in herbis antiquae syllogae retinebantur excerpta illa Crateuae et Galeni; supplementis vero eiusmodi fragmenta ex novo adicere supersedit is, qui corpus hoc herbarium condidit. Ita igitur ortus est archetypus codicum C et N, cuius forma in N paulisper immutata in libro C fidelissime exprimitur, nisi quod excerpta Crateuae et Galeni ex vetusta sylloge per totum fortasse archetypi contextum adscripta in libro C in litteris tantum *Α*, *Β*, *Γ* manent, in reliquis autem omittuntur. De aetate autem, qua archetypus ille compositus sit, recte fortasse iudicavit Wellmannus [1]), qui Oribasium medio fere saeculo quarto capita duo a genuino materiae medicae textu aliena ex recensione alphabetica in ipsius materiae medicae libros interpolata invenisse probavit.

In fine huius disputationis satis prolixae liceat ea, quae de origine, fontibus, aetate herbarii Dioscuridei ope codicis C investigasse mihi videor, quasi per stemma explicare.

---

[1]) Hermae XXXIII p. 374 s.; cf. Pauly et Wissowae encycl. V p. 1141.


ineunte saec. a. Chr. n. I compositum
ALIA HERBARIA
PICTA
GALENI ΠΕΡΙ ΔΥΝΑΜΕΩΣ ΦΑΡΜΑΚΩΝ LIB. VI
exeunte saec. II conscriptus
PAMPHILI ΠΕΡΙ ΒΟΤΑΝΩΝ
HERBARUM SYLLOGE VETUS
post a. 200 concinnata, cuius ambitus et ordinatio indice codicis C (f. 8r—10v) indicantur
SUPPLEMENTA PICTURARUM
ex aliis auctoribus hausta
INCERTI AUCTORIS SYNONYMORUM LEXICON
DIOSCURIDIS MATERIA MEDICA
DESCRIPTIONES
nonnullae ex aliis auctoribus petitae
HERBARII DIOSCURIDEI
archetypus saec. fere III vel IV ineunte concinnatus
CODEX ANICIAE IULIANAE
sive Constantinopolitanus (C)
(Vindob. med. gr. 1),
anno fere 512 confectus
CODEX NEAPOLITANUS
(N) (Vindob. suppl. gr. 28)
saeculi fere VII

CAPUT XXV. DE VIRORUM DOCTORUM STUDIIS IN HERBARIUM DIOSCURIDEUM CONLATIS.

Quamquam praecedentibus capitibus in singulis materiis explicandis diversorum commentationes breviter iam attulimus, tamen e re visum est hoc loco studia virorum doctorum, quae quidem ad herbarium Dioscurideum codice Constantinopolitano traditum pertineant, temporum ordine servato continua et uberiore enarratione legentibus proponere. Quod opus medii iam aevi temporibus summam exercuisse auctoritatem apparet ex magno numero librorum manu scriptorum, in quibus aut expressum aut excerptum extat, quos infra quarta praefationis parte copiosius tractabimus, et ex sylloge illa saeculo XIV fere medio instituta a Neophyto monacho Prodromeno, in qua herbarium illud adhibitum esse supra (p. 21 s.) diximus.

Iam postquam codex Dioscuridis a. 1569 bibliothecae Caesareae accessit, primus, quod sciamus [1]), Ioannes Sambucus Pannonius Tyrnaviensis, medicus insignis et Caesaris historiographus [2]), librum pretiosissimum suum in usum commodatum aliquamdiu domi habuit; quod ante annum 1575 medium evenisse ex oratione Blotii supra (p. 33 s.) laudata intellegitur. Sambucus quantam operam in hoc aliisque Dioscuridis exemplaribus collocaverit, luculentissimis documentis comprobatur, quae etiam nunc in bibliotheca Caesarea Vindobonensi adservantur. Et primum quidem inter libros typis impressos invenitur exemplar Dioscuridis ab Iacobo Goupylo

[1]) Matthiolum eo usum esse falso contendit Kollarius Suppl. I p. 383; cf. supra p. 30.

[2]) Mortuus est a. 1584.

a. 1549 emissi [1]), quod Sambucus propria manu cum sex codicibus veteribus contulit multisque locis emendavit. Cui permultae insunt lectiones variantes ex hoc teste antiquissimo haustae, quem Sambucus *c(odicem) Caes(areum)* sive *v(etustum) cod(icem) Caes(areum)* appellare consuevit [2]).

Hoc apparatu critico, si illam respicimus aetatem, satis copioso instructus Sambucus novam materiae medicae Dioscuridis editionem moliebatur. *Iam olim*, ut testatur Saracenus in praefatione ad hunc auctorem, ... *typographum Henricum Stephanum per literas frequentiores urgebat piae memoriae D. Io. Sambucus ...., uti regiis typis elegantioribus Dioscoridis Graeco-latinum contextum mandaret, eiusque margini missas paulo ante suas notulas, seu potius varias in eum Autorem lectiones, è complurium vetustorum codicum in diversis Principum bibliothecis repertorum fida diligentique collatione à se magno labore decerptas, adiiceret.* Ex quibus subsidiis a Sambuco subministratis ipso strenue iuvante [3]) orta

[1]) Dioscoridis libri octo graece et latine. Castigationes in eosdem libros. Parisiis apud Petrum Haultinum. 1549. 8°. Post Sambucum Sebastiani Tengnagelii, bibliothecae Caesareae praefecti, fuisse hoc exemplar ex adnotatione titulo inscripta comperimus. Meminit huius libri Lambecius Comment. ed. Kollar II p. 270 n. 1. Hodie servatur sub signo *69. J. 141.

[2]) *C. Caes.* vocatur verbi causa f. 392^{v}; *Caes. C.* f. 237^{v}. 366^{v}; *C. Cod.* f. 137^{v}. 217^{r}; *C. C.* f. 124^{v}. 196^{r}; *V. Cod. Caes.* f. 369^{v}; *V. C. Caes.* f. 119^{v}. 163^{r}. 175^{v}. 176^{r}. 182^{v}. 221^{v}. 252^{r}. 258^{r}; *V. Caes. C.* 199^{r}. 384^{r}; *V. C. C.* f. 113^{r}. 113^{v}. 138^{r}. 160^{v}. 163^{v}. 178^{r}. 210^{r}. 211^{r}. 211^{v}. 222^{r}. 229^{v}. 232^{r}. 237^{r}. 249^{r}; *Caes. V. C.* f. 192^{v}. 217^{v}; *C. V. C.* f. 146^{r}; *V. Caes.* f. 127^{r}. *Crateuas,* cuius fragmenta in libro C extant, citatur f. 100^{v}. 107^{v} (bis). 131^{r}. 132^{r}. 231^{v}. 353^{r}. In folio, quod tegumenti posterioris parti interiori adglutinatum est, Sambucus descripsit adnotationem f. 1^{r}: τὸ παρὸν βιβλίον τὸν Διοσκουρίδην κτλ.

[3]) Quanto studio Sambucus Saracenum ad suscipiendam Dioscuridis editionem hortatus sit eundemque consiliis adiuverit, apparet ex epistula Saraceni ad illum missa, quae sine temporis nota extat inter Analecta monumentorum omnis aevi Vindobonensia ed. opera et studio A. F. Kollarii I (1761) p. 1038—1040. Quibus litteris Saracenus elenchum proponit eorum, quae editioni, quam parabat, inserere voluit; inter quae recensentur *Clarissimi viri I. Sambuci in contextum Dioscoridis Graecum variae lectiones antiquissimae ad marginem interiorem* (p. 1039) et *fragmenta Crateuae* (p. 1040). Cf. Kollarius Lambecii comment. II p. 125 adn.

est editio Iani Antonii Saraceni post Sambuci mortem anno demum 1598 in volgus emissa [1]), cuius auctor *varias.... tum Clariss(imi) viri D. Sambuci, tum et aliorum hinc inde in Dioscoridem depromptas lectiones* margini adscribendas curavit. Quae quidem lectiones a Sambuco acceptae quin ex illo, quod modo memoravimus, exemplari editionis Goupylianae fluxerint, minime dubium est. Neque tamen diversi libri manu scripti, quos Sambucus adhibuerat notisque certis plerumque distinxerat, in Saraceni editionis margine inter se seiunguntur, sed indiscrete litteris *V. C.* vel similiter designantur [2]), qua ex adnotandi ratione minime dignosci potest, quid ex Constantinopolitano, quid ex reliquis codicibus Sambuci depromptum sit. Sed et quae in calce editionis illius (p. 141—144) leguntur, *in Dioscoridem observationes seu notae Io. Sambuci Pannonii*, aliqua ex parte codici C deberi iam dudum perspectum est [3]).

Praeterea Sambuco auctore, id quod ex nominibus herbarum et notulis variis ipsius manu adiectis colligitur, pictus est codex bibliothecae Caesareae Vindobonensis n. 12478 insignitus [4]). In quo f. 1^r—4^v praecedit apographon indicis

---

[1]) *Πεδακίου Διοσκορίδου Ἀναζαρβέως τὰ σωζόμενα ἅπαντα.* Pedacii Dioscoridis Anazarbaei opera quae extant omnia. Ex nova interpretatione Iani-Antonii Saraceni. Francofurti 1598. 4°.

[2]) Hae fere reperiuntur notae: *Veteres, Veteres aliqui, Vet(us) lib(er), V(etus) cod(ex), V. C., Vetus, V(etus)*. Perperam autem C. Sprengelius in praefatione ed. Dioscuridis I p. XIX existimavit lectiones a Saraceno his siglis notatas marginique editionis additas cunctas ex uno exemplari fluxisse, quod littera X signavit et p. I. haud diversum putavit a codice *n. XVI Biblioth. Imperial. Vindob.*, id est med. gr. 16 Nesselii, cuius f. 56^r—184^r Dioscuridis libri quinque de materia medica continentur. Quas lectiones ex parte tantum Constantinopolitanum exprimere easque satis neglegenter excerptas esse multo ante Sprengelium demonstraverat C. Weigelius in Baldingeri ephemeride a. 1793 supra (p. 82) citata p. 10 s.

[3]) V. Kollarius Suppl. I p. 383 s.

[4]) In Nesselii Catalogo III p. 24 recensetur inter libros manu scriptos medicos graecos codex n. *IX* notatus, *chartaceus, bonaeque notae in folio, quo continentur variarum herbarum figurae, coloribus illuminatae.* Is liber, qui intra seriem codicum graecorum iam desideratur, sine dubio haud diversus est ab eo, quem supra memoravimus, seriei promiscuae 12478 (olim

illius vetusti, qui C f. 8^r—10^v extat, manu recentiore confectum. Iam sequuntur f. 5^r—92^v imagines herbarum calamo delineatae et coloribus pictae, quas primo quasi obtutu apparet ex C expressas esse. Sunt vero omnino figurae numero 92. Ordo, quo ipse Sambucus eas collocaverat, indicatur numeris adpositis; hodie autem alphabetica serie procedunt. Nomina plerumque addita sunt manu Sambuci; accedunt adnotationes eiusdem, quibus ad opera botanica Matthioli, Hieronymi Tragi, Valerii Cordi, Fuchsii relegat. Haec omnia neglegentissime, ut solebat Sambucus, exarata sunt. Saeculo vero XVIII manus recentior — Adami Francisci Kollarii, ut videtur — singulis picturis nomina graeca magis litterate scripta subiecit.

Haec de Sambuci studiis iam sufficiant. Porro eisdem fere annis sive paulo post Sambucum imagines herbarum hoc exemplari traditas diligenter inspexit et tractavit Rembertus Dodoens, ut nativo sermone vocabatur, sive Dodonaeus [1]), medicus doctissimus atque inter eos, quos Belgica genuit terra, rei herbariae facile tum peritissimus. Quod eo ipso tempore factum sit oportet, quo a Maximiliano II Caesare accitus Vindobonae in aula versabatur summo in honore habitus, id est inter mensem Novembrem a. 1575 et initium a. 1580 [2]). In libro enim praeclaro, quem Dodonaeus a. 1583 de stirpium historia edidit [3]), in indice auctorum textui praefixo inter fontes praecipuos citatur *codex Caesareus manuscriptus.* Atque in ipso contextu ubicumque Dioscurides laudatur, Dodonaeum editione Goupyliana usum esse apparet; imagines autem herbarum, ubi fieri poterat, ad viva exempla delineatae sunt. Decem vero herbarum species,

---

suppl. 298). De quo cf. Tabulas codicum mss. VII p. 103. — Duo praeterea folia eiusdem exempli Sambuciani extant in codice Vindobonensi 5261 post f. 41 inserta.

1) Natus est Mechliniae a. 1517, mortuus a. 1585. De vita eius cf. *Biographie nationale Belgique* VI (1878) p. 85 ss.

2) Cf. Dodonaei vitam l. c p. 99 s.

3) Remberti Dodonaei Mechliniensis medici Caesarei stirpium historiae pemptades sex. Sive libri XXX. Antverpiae, ex officina Christophori Plantini. 1583. 6°. In paginis citandis hac editione usi sumus. Iterum iidem libri *varie ab auctore, paullo ante mortem, aucti et emendati* prodierunt Antverpiae a. 1616.

quas Dodonaeus in rerum natura non invenerat, expressae sunt *ex codice Caesareo*, ut indicatur inscriptionibus, quae figuris adiectae sunt [1]), id est ex herbario Dioscurideo Constantinopolitano, additis in textu commentariis. Qua re vituperationem vehementem Caroli Clusii incurrit, quem imagines codicis Caesarei haud magni aestimasse ex litteris a. 1569 datis supra (p. 32) cognovimus. Is enim in epistula scripta *Viennae IIII non. Iunii* a. 1584 ad Ioannem Cratonem de Craftheim [2]) de Dodonaei pentadibus hanc sententiam parum benevolam profert: *Dodonaei liber nihil novi admodum continet, praeter inelegantes quasdam et forte fictitias figuras ex Caesareo codice petitas* [3]).

Exeunte iam saeculo XVII, postquam codex ex Lambecii commentariis inter homines doctos magis innotuit, summum eorum, qui medicinae et herbarum scientiae studebant, desiderium erat, ut picturae herbarum antiquissimae universae inde ederentur. Qua de re operae pretium est producere

---

[1]) Huc pertinent *coronopus* editionis a. 1583 p. 109, *stoebe* p. 123, *sphaeritis* p. 126, *arction* p. 149, *hyssopus* p. 286, *tithymalus dendroides* p. 368, *hippophaës* p. 373, *aconitum lycoctonum* p. 436, *lotus sylvestris* p. 562, *lotus Aegyptia* p. 563. In editione a. 1616 eaedem figurae habentur p. 109. 123. 126. 149. 288. 372. 377. 439. 572. 573. Accuratius designatur codex edit. prioris p. 123 his verbis: *in vetere Caesareae bibliothecae codice*, similiter p. 286, item p. 435: *in pervetusto manuscripto Graeco codice ...., qui Viennae Pannoniae in locupletissima bibliotheca a D(ivo) Maximiliano II Imp. Aug. instituta asservatur.* — Cf. Kollarius Suppl. I p. 384; G. A. Pritzel Thesaur. literaturae botanicae nov. ed. p. 87; O. Penzig *Contribuzioni alla storia della botanica* p. 243 cum adn. 1.

[2]) Edita est a Trevirano p. 58 n. XXXV; a P. F. X. de Ram p. 67 n. XXXXVII. De utraque editione v. supra p. 31 adn. 1.

[3]) M. Wellmann in Pauly et Wissowae encycl. V p. 1138 contendit ex Constantinopolitani figuris derivandas esse imagines herbarum aeri incisas, a Petro Uffenbachio additas versioni Germanicae operis Dioscuridei, cui inscriptum est *Deſz uralten unnd in aller Welt berühmtesten Griechischen Scribenten Pedacii Dioscoridis Anazarbaei von allerley wolriechenden Kräutern, Gewürtzen* eqs. (Francofurti ad M. 1610. 4°). Quas Albertus de Haller Bibliothecae botanicae I p. 83 recte iam perspexerat ex Gesneri, qui codicem Constantinopolitanum numquam vidit, libris depromptas esse.

Guntheri Christophori Schelhammeri professoris Helmestadiensis verba a. 1687 enuntiata [1]). Is postquam medicorum effigies a Lambecio prolatas laudavit, ita pergit: *Ex quibus facile, quam excellenter et reliqua, plantae praesertim sint depicta, fertur iudicium. Quae si ita sunt, Proh! quantum Bibliotheca Augustissimi Caesaris nobis occultat thesaurum: quanta, quaeque bona inde expectanda nobis sunt, si cum figuris suis reliquis.... compareat aliquando in publico. Omnes enim tunc aeternae illae Medicorum de plantis Dioscoridi descriptis disceptationes maximam partem cessabunt; quibus reperiundis tot libri, totque labores lucubrationesque summorum virorum adhuc fuerunt dicatae... Universo mortalium ordini... ex codice isto magna salutis pars sperari posse, agnitis veris plantis. Dioscorideis videtur. Praesertim cum adiuncta sint singulis plantarum capitibus fragmenta Crateuae,... ex quibus quid de iisdem plantis tradiderit ille, cognoscatur.* Schelhammeri votis accesserunt Daniel Le Clerc [2]) a. 1702 pariterque a. 1731 Gottliebius Stolle [3]), quamquam hic merito dubitavit, num omnes difficultates in agnoscendis herbis Dioscuridis exortae editis illis figuris prorsus removerentur.

Altero herbarii Dioscuridei libro vetustissimo, qui Neapolitanus dicitur hodieque notatur suppl. gr. 28, a. 1718 ex Augustinianorum monasterio Neapolitano S. Ioannis de Carbonaria dicto Vindobonam translato (v. cap. XXI s.) novum idemque praestantissimum studiorum Dioscurideorum subsidium bibliothecae Caesareae accessit, in qua duo recensionis alphabeticae picturis illustratae exemplaria gemella toto orbe longe antiquissima iam prostabant, ex eodem archetypo derivata, ita ut invicem sese supplerent atque corrigerent.

---

[1]) V. Hermanni Conringii in universam artem medicam singulasque eius partes introductio... cura ac studio G. C. Schelhammeri (Helmestadii 1687. 4°) p. 275 s.; cf. p. 348 s. In editione a. 1726 emissa eadem item leguntur p. 275 s. Citat haec Schelhammeri verba Kollarius Lambecii comment. II p. 123 s. adn.; cf. eiusdem Suppl. I p. 384.

[2]) *Histoire de la médicine* ed. primae III (1702) p. 74; ed. tert. p. 625.

[3]) *Anleitung zur Historie der medicinischen Gelahrheit* (sic) (Ienae 1731. 8°) p. 80 adn. *e*; p. 614 s. adn. *g*.

Iamque spes ostendebatur fore, ut desiderio eorum satisfieret, qui ad promovendam rei herbariae cognitionem artemque medicam, ut figurae herbarum Dioscuridearum tandem evolgarentur, etiam atque etiam flagitabant. Quam rem gravissimam adgressus est Gerhardus van Swieten, qui inde ab a. 1745 ad a. 1772 bibliothecae Palatinae Vindobonensi praefectus erat, medicus celeberrimus et scientiae herbariae consultissimus, adsumptis in operis societatem Nicolao Iacquinio botanico praestantissimo [1]) et Adamo Francisco Kollario philologo erudito, qui per multos annos (1748—1783) bibliothecae eidem summo cum studio inserviebat, de libris manu scriptis Caesareis, imprimis de utroque Dioscuridis codice, optime meritus. Ex quibus quamquam Iacquinius, ut Weigelius [2]) significat, figuras illas parum utilitatis adlaturas inde ab initio sibi persuaserat et Swieteno persuadere studebat, hic tamen una cum Kollario ab imperatrice Maria Theresia impetravit, ut imagines utriusque codicis aeri incidi iuberet [3]). Quo in opere hanc viam ingressi sunt Swietenus eiusque socii, ut longe maxima pars herbarum ex Neapolitano depromeretur, ex Constantinopolitano eae tantum, quae in Neapolitano desiderantur; Neapolitanus enim liber, quem saeculo demum VII scriptum esse inter nostrae aetatis viros doctos fere constat, a Kollario [4]) non solum fide, sed etiam vetustate Constantinopolitano praestare existimabatur. His figuris descriptiones herbarum integras ex alterutro codice addere propositum

---

[1]) De vita eius cf. *Allgemeine Deutsche Biographie* XIII (1881) p. 631 s. Natus Lugduni Batavorum a. 1727 inde ab a. 1752 in Austria versabatur.

[2]) Cf. C. Weigelii litterae impressae in Baldingeri ephemeride *Medicinisches und Physisches Journal, Band VIII,* 29.—32. *Stück* (1793) p. 11: *So gut als auch Herr v. Jacquin den geringen Werth der Abbildungen einsah, und ihn zeigte.* Weigelius ea, quae his litteris et postea apud Sprengelium praef. p. XVIII profert, cum a. 1793 Vindobonae commoraretur, ab ipso Iacquinio comperisse videtur.

[3]) Cf. Weigelius l. c.; Sprengelius, qui haec sine dubio a Weigelio amico acceperat, in praefatione ad Dioscuridem I p. XVIII s.

[4]) Cf. eius additamenta in Lambecii Comment. editionem alteram I (1766) p. 80 adn. A; II p. 124 adn.; Suppl. I p. 348 s.

erat [1]), quod negotium Kollario utpote philologo incumbebat. Vides eius temporis viris doctis simile quid ante oculos obversatum esse, quale hac editione a Scatone de Vries viro summo maiore sane apparatu instituta praebetur. Quam ob rem de hoc suscepto aliquanto uberius disserere licebit.

Anno 1763 imagines in aes incidi coeptas testatur I. F. de Mosel [2]) et operam hanc per annos tres gnaviter continuatam esse [3]). Neque tamen insequente tempore opus a Swieteno susceptum prorsus quievisse videtur. Namque a. 1773 ineunte Albertus de Haller medicus et botanicus Helveticus notissimus, qui Vindobonae tum in itinere commorabatur, nomine tecto in ephemeridibus litterariis Gottingensibus [4]) refert 490 — quod sine dubio errore positum est pro 409 [5]) — tabulas aeneas herbarum Dioscuridearum iam absolutas esse seque ex iis 234 in folio, quod dicunt, obliquo in manibus habere [6]). Iam postquam demonstravit herbas, quas picturae testarentur veras esse Dioscurideas, saepissime diversas esse ab illis, quae vulgo putarentur a Dioscuride indicari, addit utique esse cupiendum, ut Iacquinius vir summae et industriae

[1]) Cf. Kollarius Suppl. I p. 382.

[2]) *Geschichte der k. k. Hofbibliothek zu Wien* (1835) p. 155. Ex Moselio habet F. Cohn l. c. p. 304.

[3]) Dissentit Weigelius l. c. p. 11: *Herr von Jacquin ward in der Zeit in Ungarn angestellt, und das Unternehmen gerieth in Stocken.* Annis scilicet 1763—1768 in Hungaria versabatur Iacquinius, dum chymiae magisterio in academia scientiarum ad metalla pertinentium Schemniciensi fungitur; Weigelius igitur si verum tradit, necesse est tabulas aeneas iam ante a. 1763 confici coeptas esse.

[4]) *Göttingische Anzeigen von Gelehrten Sachen* a. 1773 vol. I (2. *Stück*, 4. *Januar* 1773) p. 10 s.; quae epistula auctoris nomine indicato repetitur in Baldingeri ephemeride a. 1793 l. c. p. 6—8.

[5]) Nam tabulae omnes, quae delineandae erant, numerum 439 non excedebant. Errorem subesse iam Weigelius l. c. p. 12 suspicatus est.

[6]) Cf. *Anzeigen* p. 10 (Baldingeri eph. p. 6): *die Kupferstiche ..., die zwar noch nicht herausgegeben, doch aber gestochen, und wovon 490. Platten fertig und 234. in länglicht Folio in unsern Händen sind.* Hinc omnino pendet I. C. G. Ackermann in Fabricii Bibliotheca graeca ed. Harles. IV (1795) p. 684.

et sollertiae has tabulas in lucem proferendas susciperet. Quibus si instructus esset, hominem rei herbariae peritum in Asia peregrinantem maximam fortasse partem herbarum veterum, in quarum cognitione vaga etiamtum et dubia haud exigua artis medicae pars inniteretur, definire posse Hallerus existimat. Eundem rei statum Kollarii nobis ostendit testimonium, qui in Supplementis ad Lambecii commentarios post mortem (a. 1790) editis I p. 382 cap. XI de operis progressu haec disputat: *Huius consilii expediendi gratia Augustae Bibliothecae sumtu ab artis suae perito chalcographo in aes iam incisae sunt plantae quadringentae et decem; restant igitur incidendae novem et viginti, et quidem Neapolitanae omnes: cum eae quinque et viginti Byzantini codicis, quarum superius memini* [1]), *in aes iam sint incisae. Sunt vero Byzantini codicis plantae multo grandiores Neapolitanis; cum codex ipse Neapolitano multo maior sit et amplior.* Iam pergit cap. XII: *Haec porro ut in publicum prodeant, viri in re botanica cumprimis versati, Linnaeoque innutriti crisin curasque praestolantur.*

Neque tamen ultra tabularum 409, quas initio fere anni 1773 perfectas fuisse modo cognovimus, vel 410 numerum res continuata est; id quod tabulis ipsis ectypisque ad hunc diem extantibus, de quibus statim accuratius exponam, dilucide comprobatur [2]). Namque postquam mense Iunio a. 1772 Gerhardus van Swieten, suscepti illius auctor et fautor potentissimus, vita excessit, totum repente negotium per tot annos industrie gestum et ad finem prope perductum omnino conquievit. Suspicatur autem I. F. de Mosel (l. c. p. 155) rei consummandae id obstitisse, quod aut Kollarii vires aliis officiis absumptae novo huic labori sibi imposito iam non pares fuissent aut pecunia in impensas bibliothecae Caesareae

---

[1]) Herbarum dicit figuras, quibus Neapolitanus caret, in Constantinopolitano tantum servatas.

[2]) Errat igitur Weigelius l. c. p. 12, cum haec adfirmat: *Die Kupferplatten habe ich auf der kaiserlichen Bibliothek zum Theil gesehen, sie ... werden in allen ungefähr 427—430 sein.*

attributa non suffecisset ad duo tam sumptuosa opera, qualia erant Lambecii commentarii Kollario curante emendati et denuo in lucem emissi et editio illa herbarii Dioscuridei, eodem tempore absolvenda. Attamen veram causam aperire videtur C. Weigelius, cum non solum Iacquinium iam olim suasisse narrat, ne ea res susciperetur, sed etiam Kollarium aliosque progrediente opere sibi persuasisse utroque codice excerpta perquam imperfecta ex Dioscuridis materia medica contineri [1]. Ad eundem auctorem referenda videntur, quae Curtius Sprengelius in praefatione ad Dioscuridem a. 1829 edita (I p. XVIII s.) narrat: *Utrique codici adiunctae sunt icones pictae plantarum, laudibus nimiis ornatae. Quanquam exempla earum, a Dodonaeo stirpium historiae inserta* [2], *exspectationem satis parvam artis peritis facerent, hortati tamen Swietenius et Kollarius sunt imperatricem Mariam Theresiam, ut aeri incidi iuberet. Cum ea precibus inconsultis et praecipitibus annueret, sculptae non paucae eo consilio, ut ederentur. Sed Iacquinii, scientissimi iudicis, suasu manum artifex deposuit, interdicto mox toto opere perquam supervacuo. Iacent iam tabulae aereae in secunda bibliothecae caesareae contignatione neutiquam dignae, ut in vulgus edantur. Rudes sunt omnes figurae, multae ad imaginationem aut etiam ad lubitum pictoris fictae, plures monstrosae.* Unde iam perspicuum est paulo post Gerhardi van Swieten obitum, anno fere 1773 Iacquinium, cui utpote scientiae herbariae consultissimo arbitrium de illa re permissum erat, auctorem fuisse operis inhibendi, neque Kollarium huic consilio adversatum esse. Rem autem ut imperfectam relinqueret, sine dubio eo commotus est Iacquinius, quod Swieteni, Halleri, aliorum opinione improbata recte fortasse statuebat ipsi doctrinae herbariae et arti medicae, quae sub finem saeculi XVIII mirum quantum progressae erant, eo quo tum erant statu parum utilitatis ex figuris illis esse redunda-

---

[1] L. c. p. 11 s.: *das Unternehmen gerieth in Stocken, besonders da indess Collar u. a. fanden wie mangelhaft dieser Auszug aus des Dioscorides Schriften — dann* (sic) *das sind eigentlich beide Handschriften — war.*

[2] Qua de re cf. supra p. 123 adn. 1.

turum; cui sententiae Weigelius et Sprengelius l. c. adsentiuntur. Historicam vero quaestionis partem ex temporis sui ingenio neglexit vir praestantissimus, nihil curans, quantum incrementi et notitia artis pictoriae veterum et historia rei herbariae et medicinae, qualis inde ab antiquitate usque ad saeculum XVI fuisset, imaginibus illis divolgatis capere possent [1]. Quodsi quid in hac re deliquit Iacquinius clarissimus ille civis Lugdunensis Batavus, miro ecce casu is error iam redimitur et corrigitur eo, quod ex ipsa eius urbe natali a Scatone de Vries cive Lugdunensi consilium codicis integri multo accuratius et plenius, quam per aera incisa fieri potuerat, solis ope depingendi profectum iamque peractum est.

Iam nonnulla adiungam de ipsis tabulis aeneis, quae supersunt, et de earum ectypis. Magnam tabularum partem in bibliotheca Caesarea a. 1793 sese vidisse Weigelius testatur [2], eodemque ut videtur auctore Sprengelius narrat iacere eas in secunda eius bibliothecae contignatione [3]. Sed etiamnunc ex tabulis 409 vel, ut rectius dicam, 410 pars quaedam, videlicet 170, una cum aliis eiusmodi aeribus adservantur in armario quodam, quod in ea bibliothecae parte, quae plano pede est [4], nuper repositum est. Incisiones vero, quae desiderantur, numero 240 quo pervenerint, omnino ignoratur.

Porro ectyporum, quae experimenti causa ex aerum illorum serie desumpta erant, quattuor, quod sciam, supersunt exemplaria. Atque priora duo, in quibus herbae cuique nomen graecum Kollarii manu subscriptum est, extant in voluminibus duobus, quae in seriem librorum manu scriptorum bibliothecae Caesareae promiscuam recepta numeris 12447, 12448 notan-

---

[1] Simile quid iam significat I. C. G. Ackermann in Fabricii Bibliotheca graeca IV (1795) p. 684: *Sed, nescio qua de causa, hoc opus, quo sine dubio utilitatem qualemcumque rei herbariae veterum adlatum iri spes est, in tenebris ad nostra usque tempora iacuit.*

[2] Cf. supra p. 127 adn. 2.

[3] V. supra p. 129.

[4] Vulgo appellatur *Remise.*

tur [1]). Quorum alterum n. 12447 designatum imagines continet 410. Praecedunt autem f. 1—383 figurae ex Neapolitano expressae manuque recentiore in eum fere ordinem digestae, quem in hoc codice obtinent; quas inde a f. 384—410 excipiunt herbae 27 forma grandiore incisae, quae solo Constantinopolitano traduntur (v. supra p. 127). Alterum vero volumen easdem fere figuras exhibet numero 407 in absolutum alphabeti ordinem redactas.

Praeter haec duo exemplaria Vindobonensia duo tantum, quod sciam, servata sunt in bibliothecis Britanniae. Ex his alterum a Iacquinio Carolo Linnaeo clarissimo illi scientiae herbariae nostrorum temporum conditori dedicatum post huius mortem ad Iacobum Eduardum Smithium virum herbarum, quas Graecia gignit, peritum pervenit, apud quem anno 1816 vidit Augustinus Pyramus de Candolle [2]); hodie autem extat in bibliotheca societatis Linnaeanae Londiniensis [3]).

Alterum exemplar Britannicum aliquando fuerat Ioannis Sibthorpii [4]), academiae Oxoniensis professoris in rei herbariae studiis famam haud mediocrem adepti laborumque patientissimi. Qui cum inde ab a. 1784 expeditionem Graecam pararet eo imprimis consilio, ut herbas a Dioscuride describtas investigaret, usque ad mensem Martium a. 1786 Vindobonae commoratus est, ubi Iacquinios patrem filiumque

---

[1]) Cf. Tabulae codicum manu scriptorum praeter graecos et orientales in bibl. Palatina Vindobonensi asservatorum VII (1875) p. 97.

[2]) Cf. G. A. Pritzel Thesauri literaturae botanicae ed. novae (1872) p. 87: *Lego in libro manuscripto optimi Candollii patris haec verba anno* 1816 *in itinere anglico scripta: „J'ai vu à Norwich chez Mr. James Edward Smith les planches du manuscrit de Dioscoride de Vienne, qu'on dit être du cinquième siècle; l'impératrice les avait fait graver, et Jacquin donna le premier exemplaire à Linné, et le second à Sibthorp; le premier se trouve aujourd'hui à Norwich, le second à Oxford. Après cela les planches ont été perdues ou détruites, et il n'en reste que ces deux exemplaires. Mr. Jacquin le fils demande à l'université d'Oxford, de lui rendre celui, que son père avait, dit-il, prêté à Sibthorp."* V. praeterea Daydon-Iackson *Guide to the literature of botany* p. XXVIII.

[3]) Cf. O. Penzig *Contribuzioni alla storia della botanica* (Mediolani 1905) p. 245.

[4]) Natus est a. 1758, mortuus a. 1796. Sibthorpii expeditiones Graecae prior a. 1786—1787, altera a. 1794—1795 factae sunt.

studiorum communione sibi devinxit et praeclaros Dioscuridis codices diligenter excussit [1]). Cui iter in Graeciam vere a. 1786 continuanti exemplar tabularum ex Dioscuridis codicibus expressarum praesto erat, ab Iacquinio patre, qui suum in usum retinuerat, aut dono oblatum aut commodatum [2]). Quod Sibthorpio a. 1796 mortuo universitati Oxoniensi obtigit iamque repositum est in bibliotheca horti botanici Oxoniensis [3]). His ectypis anno fere 1857 usus est C. Daubeny professor Oxoniensis in definiendis herbis a Dioscuride commemoratis [4]).

Superest, ut paucis attingam Adami Francisci Kollarii studia Dioscuridea. Is enim iam ante a. 1766 codicem Neapolitanum, quem et antiquitate et scripturae diligentia

---

[1]) Cf. Florae graecae prodromus: sive plantarum omnium enumeratio, quas in provinciis aut insulis Graeciae invenit Iohannes Sibthorp, ... elaboravit Iacobus Edvardus Smith. Vol. I (Londini 1806. 8°). In praefatione p. XIV s. haec refert Smithius: *Synonyma Dioscoridis sumuntur ex manuscripto Sibthorpiano, quod Viennae plerumque conscripserat, ubi in codicem veterem celeberrimum, tabulis pictis ornatum, incidit. Omnia haec synonyma cum optimis editionibus Dioscoridis comparavi* eqs. Sibthorpium codices Caesareos diligenter tractasse narratur etiam in eius vita *Dictionary of national biography* LII (1897) p. 189. Cf. O. Penzig l. c. p. 244; supra p. 82 s. n. 5. 6.

[2]) Cf. Weigelius l. c. p. 12: *Sein Exemplar Abdrücke hat der Herr Bergrath von Jacquin, dem Hrn. D. Sibdorb* (sic) *aus Oxford geschenkt, der auf einer Reise nach Griechenland begriffen war. Dieser, so wie früher zwey andre Gelehrten, haben Hrn. von Jacquin aus der Gegend des Olymps, von Platamon, den* ελλεβαρος (sic) μελας, *wie ihn die dortigen Einwohner nennen, geschickt.* Accedit Decandollii testimonium supra p. 130 s. adn. 2 exscriptum. Memores sine dubio erant Iacquinius et Sibthorpius eorum, quae a. 1773 Hallerus disputaverat, hominem rei herbariae consultum tabulis his instructum in Asia peregrinantem facili negotio herbas Dioscurideas esse recogniturum; cf. supra p. 127.

[3]) Cf. Decandollius l. c.; Daydon-Iackson l. c.; E. Bonnet *Ianus* VIII p. 171; O. Penzig l. c. p. 244 adn. 3; p. 245; 270 adn. 1; p. 281.

[4]) Cf. Daubenyi opus supra p. 82 n. 7 citatum p. 231; Penzig p. 245. — De huius exemplaris tabulis a Daubenyo repetitis v. supra p. 81 adn. 4. Tabulam unam, quae *φασίολον* repraesentat codicis Neapolitani f. 165r depictum, proponit Penzigius l. c. tab. VI; cf. ibidem p. 270 adn. 1; p. 281. Ubi nomen *φασίωλος* eadem manu subscriptum est, quae in exemplaribus Vindobonensibus supra p. 129 memoratis herbarum vocabula addidit, scilicet A. F. Kollarii.

Constantinopolitano multum praestare sibi persuaserat, diligentissime sua manu integrum descripsit et studiose cum Constantinopolitano contulit variasque lectiones in apographi margine adnotavit [1]). Quam operam sine dubio eo consilio suscepit, ut editionem herbarii Dioscuridei, quam tabulis Swieteno auctore edendis adiungere in animo erat, quantum posset, promoveret. Nam et commentarium philologum eruditum et copiosum, qui herbarii textui adderetur, idem industrie praeparavit; cuius specimen Supplementorum ad Lambecii commentarios I p. 384—393 protulit, praestantissimi herbarii illius, ut ipsius verba adferam, *olim editori fortasse non futurum inutile.* Porro et indicem conscripsit herbarum libri utriusque, quem ibidem p. 359—381 legentibus proponit, de ipsa herbarii editione iam desperans [2]). Sed cum ex his lucubrationibus paucissima in publicam lucem prodierint, multae sane egregiae observationes Kollarii de utriusque codicis, Neapolitani et Constantinopolitani, historia, indole, argumento editae extant in adnotationibus, quibus Lambecii Commentarios denuo a se editos correxit emendavit, auxit supplevit [3]).

Ad finem vergente saeculo XVIII post Ioannem Sibthorpium Oxoniensem, de quo supra (p. 130) verba fecimus, ex duobus celeberrimis libris Dioscurideis *lectiones varias, integra saepe etiam capita, solerter transscripsit, dum Viennae* 1798 (errore scriptum pro a. 1793) *et* 1799 *degeret, Weigelius medicus Dresdensis,* cuius rei Sprengelius amicus eius auctor est [4]). Vir ille litteris graecis eruditissimus, qui Italiam quoque peragravit Graecorum medicorum

[1]) Cf. Lambecii Comment. ed. alt. I (1766) p. 80 adn. A; p. 124 s. adn.; Suppl. I p. 348 s.

[2]) Suppl. I p. 358.

[3]) Cf. Comment. edit. alterius I (1766) p. 79; II p. 119 ss.; VI p. 202 ss.; Suppl. I p. 343—394.

[4]) In praefatione ad Dioscuridem I p. XVII. In codicis Neapolitani (suppl. gr. 28) tegumento posteriore haec extant verba Weigelii manu inscripta: *Contuli hunc et Const(antinopolitanum) Cod(icem) Dioscoridis c(um) editione Sarazeni. Carolus Weigel. M(edicinae) D(octor) Lips(iensis) a(nn)o* 1793. *et* 1799.

reliquias quam plenissime conquisiturus, anno iam 1793 refert se edenda parare Anecdota bibliothecae Vindobonensis, quibus utriusque codicis varias lectiones et capita ad illud tempus adhuc inedita una cum fragmentis Crateuae Constantinopolitano servatis continerentur [1]). Ex his omnibus praeter observationes quasdam haud inutiles de codicum scriptura, figuris, lectionibus, quas Baldingeri ephemeridibus a. 1793 inseruit [2]), nihil umquam a Weigelio in lucem prolatum est. Sed cum ipse nescio quibus causis impediretur, quominus promissis staret, aliis studiorum suorum fructus non invidit vir liberalissimus. Apparatus enim critici ad Dioscuridis materiam medicam Vindobonae et alibi a se congesti copiam fecit Curtio Sprengelio [3]), qui lectiones codicum duorum vetustissimorum Vindobonensium litteris C et N designatas in editionis a. 1829 emissae [4]) adnotatione critica exhibet. Quam si diligentius perscrutatus cum ipsorum librorum scriptura contuleris, mox sane intelleges lectiones ex C et N a Sprengelio non sine magnis erroribus et omissionibus produci.

---

[1]) Cf. C. Weigelius in Baldingeri ephemeride l. c. p. 12: *Die zum Theil wichtigen Varianten, und die noch ungedruckte Kapitel beider Handschriften, so wie die im Const. Codex befindliche Fragmenten des* χρατευας ριξοτομος (sic), *kommen in meine künftig erscheinende Anecdota Bibliothecae Vindobonensis.* Idem fere pollicitus est Weigelius apud C. Sprengelium *Beiträge zur Geschichte der Medicin* I, *Stück* 3 (1796) p. 267: *Hr. Dr. Weigel in Leipzig hat auf einer Reise durch Italien sehr wichtige Schätze ... gesammelt, welche er als Anecdota graeca herauszugeben gedenkt.* Inter ea, quae edere propositum erat, adferuntur (p. 268) *n.* 3) *Κρατευου του ριζοτομου τα σωζομενα, aus dem alten Codex des Dioskorides in der Wiener Hofbibliothek abgeschrieben,* deinde (p. 269) *n.* 7) *Var. lect. Dioscoridis codd. Constantinopol. et Neapol. in Bibl. Caesar. Vindob. adservat.* Vide, quae de hac re disputant Ernestus H. F. Meyer *Geschichte der Botanik* I p. 256; M. Wellmann *Krateuas* p. 10 cum adn. 16.

[2]) Cf. supra p. 125 adn. 2.

[3]) Cf. praefationem ad Dioscuridem p. XVII s.

[4]) Pedanii Dioscoridis Anazarbei de materia medica libri quinque. Ad fidem codicum manuscriptorum ... recensuit ... Curtius Sprengel. Tom. I (1829. 8°). (Medicorum Graecorum opera quae exstant. Ed. curavit C. G. Kuehn. Vol. XXV.)

Adde, quod idem his recensionis alphabeticae codicibus, cum vetustiores melioresque versionis genuinae testes ignoraret, plurimis locis nimiam tribuisse auctoritatem videtur. De figuris vero herbarii Dioscuridei quid et Weigelius et Sprengelius senserint, iam supra (p. 81. 128 s.) memoravimus.

Maxima saeculi XIX parte ea, quae ex Lambecio, Nesselio, Kollario et ex editione Sprengelii quamvis imperfecta de herbario Dioscurideo cognosci poterant, viris doctis suffecisse videntur, ita ut codex noster cum Neapolitano neglecti fere iacerent. Anno demum 1881 Ferdinandus Cohn professor Vratislaviensis utrumque accuratius inspexit, qua de re lectione publice habita rettulit [1]). Deinde anno fere 1894 Guilelmus Tomaschek professor Vindobonensis synonyma Bessica, Dacica, Dardanica, quae in C et N extant, diligenter contulit [2]). Optime vero novissimo tempore de ambobus meruit Maximilianus Wellmannus Stettinensis. Is enim ab academia regia scientiarum Gottingensi novam materiae medicae editionem parare iussus [3]) anno 1895 exeunte et ineunte 1896 summa cum industria et Constantinopolitanum exscripsit et inde ab anno 1897 commentationibus eruditis illustravit, quibus Crateuae ῥιζοτομικοῦ fragmenta in C tradita et herbarum figuras et synonyma tractavit [4]). His disquisitionibus cum magna et doctrinae et sagacitatis documenta dederit Wellmannus, valde iam exoptandum est, ut materia medica Dioscuridis novo ab eo instructa apparatu textuque recensionis alphabeticae, cuius praecipui testes duo vetustissima exemplaria Vindobonensia sunt, aucta tandem aliquando in publicum prodeat. Anno fere 1898 et Hermannum Stadlerum Monacensem utrumque codicem industrie examinasse

---

[1]) Cf. supra p. 82 n. 8.

[2]) Cf. supra p. 85 adn. 2.

[3]) V. M. Wellmann *Verhandlungen der 44. Versammlung deutscher Philologen und Schulmänner in Dresden* (Lipsiae 1897) p. 55; idem in Pauly et Wissowae encycl. V p. 1142.

[4]) Accuratiora invenies supra p. 78 adn. 1; 81 adn. 2; 86; 89; 111 ss. Cf. praeterea H. Stadler *Archiv für lateinische Lexikographie* XI (1900) p. 105 s.

et ex iis apparet, quae in recensione commentationum Dioscuridearum a Wellmanno conscriptarum[1]) de herbarum quarundam picturis scite disputavit, et ex synonymorum, quae libris C et N continentur, lectionibus alio loco congestis[2]).

---

[1]) In ephemeride Bavarica *Blätter für das Gymnasial-Schulwesen* XXXIV (1898) p. 610 s.

[2]) *Archiv für lateinische Lexikographie* XI (1900) p. 105 – 114. V. supra p. 86 s.

PARS TERTIA.

DE OPUSCULIS APPENDICE TRADITIS.

CAPUT XXVI. DE CARMINE, CUI DE VIRIBUS HERBARUM INSCRIBITUR.

Tertia hac praefationis parte disputaturi sumus de opusculis ad naturalem historiam pertinentibus, quae herbario Dioscurideo adnexa sunt. Quibus, quantum fieri potest, accurate examinatis elucebit summam auctoritatem hac quoque in appendice codici nostro tribuendam esse, quippe qui inter omnes libros manu scriptos, quibus haec ad nos pervenere, non solum vetustissimus sit, verum etiam ceterorum, quos quidem aliquantum novimus, archetypus esse videatur.

Atque primum post herbarium locum inde a f. 388^r—392^r obtinent versus heroico metro conscripti numero 215, a recentioribus „carmen de viribus herbarum" inscribi soliti, qui ad cognoscendas veterum superstitiones haud parum valere videntur. Est autem tantummodo pars poematis longioris ab ignoto auctore [1]) compositi, et initio et fine carens.

[1]) Pamphilo Alexandrino tribuerunt P. Lambecius Comment. ed. prior. II p. 593; VI p. 206; ed. Kollar. II p. 259 s.; VI p. 205, alii, quorum opinio dudum explosa est; de Rufo Ephesio post Gesnerum cogitaverat Kollarius Lambecii Comment. edit. alterius II p. 123 adn.; VI p. 205 adn. A (v. infra p 140 adn. 1). Cf. Fabricius Bibl. gr. ed. Harles. IV p. 360; L. Choulant *Geschichte und Literatur der älteren Medicin* ed. alt. I p. 129 s.; Guil. de Christ *Geschichte der griech. Litteratur* ed. tert. p. 630 s.; 857 adn. 3.

Iam vero, ut in reliquis codicibus, quos novimus, universis, ita et in nostro libro, qui quidem omnium antiquissimus hos versus servavit, et titulus desideratur et subscriptio. Neque veri dissimile est titulum pictura fortasse ornatum, qualis herbario Dioscurideo f. 7[v] praefixus est, una cum indice capitum, quem libri aliquot ex C descripti etiam nunc exhibent (cf. infra p. 139 adn. 1), periisse in membranis duabus, quas inter f. 387 et 388 excisas esse ex reliquiis exiguis colligitur. Subscriptionem vero, qualem Eutecnii, quae sequuntur, paraphrasibus subiectam invenimus, inde ab initio in f. 392[r] defuisse ipso codicis statu demonstratur, qui hoc quidem loco omnino integer est.

Incipit igitur carmen de herbarum viribus f. 388[r] his verbis: [*Α.*] *Χαμαίμηλον.* | *Τοὺς δὲ πυρέσσοντας τὸ χαμαίμηλον θεραπεύει* (p. 476 v. 1 ed. Hauptii); desinit f. 392[r] in capite, cui inscriptum est *Χρυσάνθεμον*, ita: *φαρμακίδων ἀλόχων καὶ βάσκανα φῦλ' ἀνθρώπων.* | *ΙΣ.* *'Ερύσιμον* (p. 486 v. 215 s. editionis eiusdem). Textus autem divisus est in capita sedecim, quorum exordiis in margine laeva numeri graeci *Α* usque ad *ΙΣ* continui minio adpicti sunt [1]), scriptura et ornatu consimiles iis, quibus membranarum compages ab antiquis codicis librariis signatae erant (v. supra cap. VI); unde, quamvis versus illi particula tantummodo sint longioris carminis, satis constat ipsum codicem nulla hac in parte iactura adfectum esse. Porro cuivis capiti argumentum versu proprio rubrisque litteris praescriptum est, quod excipit versus primus rubro item colore pictus [2]).

Comitantur autem carminis textum in marginibus exterioribus addita scholia antiqua eadem, quae in aliis quoque libris inveniuntur. Quae in nostro codice scripturam exhibent minutam, uncialem quidem, sed ad genus, quod dicitur, cursivum vergentem. In his quoque is versus, qui primum in quovis capite locum obtinet, minio pictus est. Quibus ex scholiis multae voces vel litterae margine a bibliopego recisa absumptae

---

[1]) Numeri *Α—Γ* f. 488[r] inscripti latent sub membranarum laciniis adglutinatis.

[2]) Unus excipiendus est folii 388[v] v. 13 (edit. citatae v. 40) nigro atramento scriptus.

sunt; interdum autem ipsa membrana ita detrita est, ut legi vix possint. Ultimum vero eorum enuntiatum, quod ad versus in ipsum codicem iam non receptos spectat: *'Ερύσιμον λεῖον μετ' οἴνου πρὸς κοιλίας πόνον πιέτω* (corr. *πιέσθω*). *'Εὰν δὲ κόκκους ζ' εἰς οἰκίαν βάλλης* (corr. *βάλῃς*), *ἀψιμαχία ἔσται* (p. 489, 5 s. ed. Hauptii) f. 392^{r} non in margine adiectum est, sed iisdem litteris atque carminis verba conscriptum ipsi textui subiungitur.

Imagines hac in parte non inveniuntur nisi una praeclara f. 391^{v} e regione capitis, ad quod pertinet, collocata, qua *ἐναλία δρῦς* sive corallum ex aqua emergens repraesentatur, ad cuius imam partem nympha monstro marino innixa et varia animalium, quae in mari nascuntur, genera undis innatantia conspiciuntur.

Codicem nostrum hac in sectione non solum iisdem vitiis atque in textu Dioscurideo laborare, sed etiam foedissimis et inauditis fere corruptelis scatere facile agnoscitur ex variis lectionibus, quae in Hauptii adnotatione critica proponuntur. Sed nihilo minus exemplum hoc in ipso carmine restituendo minime neglegendum esse iam dudum a viris doctis perspectum est. Qua de re iudicium ab Silligio editionis p. 198 prolatum adferre liceat: »Quamquam enim codex Vindobonensis .... negligentissime est exaratus et praeterea ex verissimo Hermanni iudicio multis in locis non melior est editione Aldina, imo ambo libri aeque sunt corrupti, aeque interpretamentis pleni, aeque correctorem experti, quapropter ex se invicem supplendi emendandique fuerunt, tamen haud exiguum locorum numerum partim restituit, partim viam qua restitui possint monstrat, lacunas quoque in editione Aldina haud paucas explet (vss. 69 sqq., 131 sqq., 160. 189) et duo integra capita (vss. 191—215) cum scholiis ad tertium deperditum primus adiicit, unde factum est, ut carmen nostrum aliquanto emendatius et auctius quam ferebatur, legi possit." Neque aliter ea de re Hauptius sensisse videtur, qui in adnotatione critica lectiones libri Vindobonensis insigni cum diligentia exprimendas curavit. Quo in iudicio summorum philologorum de codicis nostri praestantia, quamquam per se verissimum est, tamen non adquiescendum puto. Nam persua-

sum equidem habeo eum non solum vetustissimum et praestantissimum carminis exemplum continere, sed etiam omnia, quae quidem novimus, carminis apographa ex hoc unico archetypo repetenda esse. Quorum in numero habendi sunt codices Cheltenhamensis Phillipps. n. 21975 saec. XI, Athous monasterii Laurae saec. XII, Vaticanus Palatinus n. 77 saec. XIV, Laurentianus plutei LXXXVI n. 9 saec. XV, Mediolanensis in archio capituli metropolitani servatus n. 3 saec. XV, Berolinensis Phillippicus n. 1570 saec. XVI, deinde codex, ex quo Aldus Dioscuridem a. 1499 excudendum curavit, atque ipse ille liber, ex quo Franciscus Asulanus hoc poema princeps ediderat; de quibus universis in praefationis parte quarta (cap. XXXII) fusius disputabitur [1]). Accedit, quod excerpta quaedam carminis de viribus herbarum in eos materiae medicae libros irrepserunt, quos ex codice C interpolatos esse aliis argumentis infra (cap. XXXII n. XII) probabitur. His adde imaginem illam ἰνάλιας δρυὸς una cum plurimis figuris ex nostro libro depromptis depictam extare in codice Chigiano F. VII. 159 saec. XV confecto (f. 198r) [2]).

Fragmentum de herbarum viribus, quod Pamphilo Alexandrino perperam attribuit, codici inesse observavit Petrus Lambecius [3]), cuius vestigia legit Nesselius [4]). Idem Lambecius figuram ἰνάλιας δρυὸς aeri incisam proposuit et accurate commentatus est [5]), unde eam repetivit Nesselius [6]). Deinde A. F.

[1]) De codice quodam Romano bibliothecae Vallicellanae a Georgio Allatio scripto, quo carmen de viribus herbarum contineri indicat Aem. Martini *Catalogo di manoscritti greci esistenti nelle biblioteche italiane* II p. 226 n. 213, non satis constat. — Ex codicibus Asulani et Mediolanensi capitum index suppleri potest in archetypo foliorum interitu deperditus; cf. cap. XXXII n. VIII.

[2]) Cf. O. Penzig *Contribuzioni alla storia della botanica* (Mediolani 1905) p. 248; infra cap. XXXII n. II.

[3]) Comment. ed. prior. II p. 593; ed. Kollar. II p. 259 s.

[4]) Catalog. III p. 9.

[5]) L. c. ed. prior. VI p. 295 s. cum tab. p. 294 adiecta n. 1; ed. Kollar. VI p. 439—441, addita tab. A n. 1.

[6]) L. c. p. 10 cum tab. K littera signata.

Kollarius, cum ad Lambecii commentarios denuo edendos accingeretur, opinionem, quam de Pamphilo carminis auctore Lambecius enuntiaverat, vehementer impugnavit [1]); quam ad rem pertinet adnotatio ipsius Kollarii manu in summa margine dextra folii 388^r inscripta.

Inter viros autem doctos, qui in carmine de viribus herbarum recensendo codicem hunc adhibuerunt, temporis ordine principem locum obtinet Carolus Weigelius medicus Lipsiensis Dresdae postea constitutus, quem annis 1793 et 1799 totum codicem diligentissime excussisse et contulisse supra (cap. XXV p. 132) narravimus. Ea vero, quae Weigelius de carmine et scholiis adnotaverat, aetatem tulerunt inter collectanea eius in bibliotheca regia Berolinensi adservata [2]). Atque multos post annos idem Weigelius, qua erat liberalitate, varias lectiones ex codice Vindobonensi a se excerptas ultro obtulit Iulio Sillígio philologo Dresdensi, qui carminis editionem a se curatam et Godofredi Hermanni emendationibus auctam Macro Florido Choulantii [3]) adiunxit. Qui quidem, ut Hauptius iam intellexit (p. 475), ea quae in hoc codice

---

[1]) Cf. A. F. Kollarii Ad viros, a sacra et profana eruditione claros, de commentariis in manu exaratos codices Aug. bibliothecae Vindobonensis, propediem praelum subituris, epistola (Vindobonae 1760) p. 12. Quo loco. quae disputavit, repetita extant in ephemeride Lipsiensi, quae inscribitur Nova acta eruditorum, a. 1760 p. 285 s. et in ipsa Commentariorum editione altera II p. 122 s. adn.

[2]) Est codex graecus *fol.* 39 signatus, quem describit C. de Boor *Verzeichniss der griech. Handschriften der königl. Bibliothek zu Berlin* II p. 142 ss. n. 275. Ubi p. 143 haec indicantur: 17. *Ein Blatt, Collation des Gedichts de viribus herbarum im Vindobon. Med. No.* 22 (numerus falsus est) *mit der Ausgabe des Fabricius Bibl. graec. XI p.* 630.

[3]) Editioni huic inscriptum est: Macer Floridus de viribus herbarum una cum ... carminibus similis argumenti ... recensuit ... Ludovicus Choulant. Accedit anonymi carmen graecum de herbis, quod e codice Vindobonensi auxit et cum Godofredi Hermanni suisque emendationibus edidit Iulius Sillig. Lipsiae 1832. 8°. Extant Sillígii praefatio p. 197—199, ipsi versus p. 200—212, scholia p. 212—215. Textus, qualem Sillígius conformavit, summa socordia a F. S. Lehrsio repetitus est in Didotii Poetis bucolicis et didacticis Parisiis a. 1849 (denuo a. 1851. 1862) volgatis p. 173—178.

scripta sunt, non satis accurate indicavit, sive ipsius ea fuit neglegentia sive ante eum Weigelii. Novissimus denique ad carmen una cum scholiis edendum accessit Mauricius Hauptius in libello scholastico Berolinensi a. 1873 [1]), qui novam codicis nostri collationem Guilelmo de Hartel viro magnifico, professori tum universitatis litterarum Vindobonensis, acceptam refert. Anno demum 1902 Segofridus Mekler Vindobonensis hanc codicis partem denuo curiose excussit; qui, quae nova repperit, proximo tempore in ephemeride, cui inscribitur *Wiener Studien*, fortasse proferet.

CAPUT XXVII. DE EUTECNII PARAPHRASI IN NICANDRI THERACIA.

Versus de viribus herbarum pagina vacua (f. 392^v) interiecta excipit f. 393^r—437^v prima ex quattuor carminum didacticorum paraphrasibus, quae in nostro codice in unum quasi corpusculum congestae sunt, Eutecnii sophistae theriacorum Nicandreorum versio prosa oratione concinnata. Cuius initium, quamquam codex hoc loco integer est, titulo omnino caret, quod item in reliquis paraphrasibus observatur. F. 393^r post inscriptionem Ἡ ὑπόθεσις sequitur breve poematis argumentum, quod incipit: Νίκανδρος ὁ ποιητής, desinit eadem in pagina: καὶ ὠφέλειαν ἐξεύρηται; deinde inferior paginae pars atque f. 393^v vacant. In summo f. 394^r legitur tituli loco Ἡ ἑρμηνία (sic); subicitur libri textus, qui incipit: τῶν ἑρπετῶν ὁπόσα ἐστὶν ἐν εἴδεσιν, desinit f. 437^v his verbis: νομεισθείη ποτέ, ὦ Ἑρμησίαναξ. Atque in libri fine subscripta sunt haec atramento nigro:

Παράφρασις Εὐτεκνίου σοφιστοῦ
ἐκ τῶν Νικάνδρου θηριακῶν.

Quae quidem ratio titulum non in exordio, sed in fine libri ponendi, quae in reliquis huius codicis paraphrasibus redit,

---

[1]) Cf. Indicem lectionum hibernarum universitatis Berolinensis a. 1873; unde repetitum est in Mauricii Hauptii Opusculis II (1876) p. 475 ss. Leguntur ipsi versus p. 476—486; scholia p. 486—489.

quin ex voluminum papyraceorum proprietate originem traxerit, minime dubium est; in quibus titulum non in summa charta, sed in ima libri parte, quae in volumine evolvendo prima oculis offerebatur, collocare sollemne fuisse videtur [1]). Quam consuetudinem, quamvis codicibus et papyraceis et membranaceis minime idoneam, imitabantur librarii, qui auctores ex voluminibus in codices transscribebant.

Paraphrasis amplissimis membranarum spatiis multisque intervallis interiectis scripta in capita dividitur, quorum primi versus maiore littera incipientes minio plerumque picti sunt. Atque per totum librum passim dispersae inveniuntur picturae minutae elegantissimae [2]), capitibus illis, ad quae pertinent, praefixae titulisque rubris instructae; qua in re saepe evenit, ut imago in pagina recta conspiciatur, textus autem in folio verso legatur [3]). Quibus figuris maximam partem repraesentantur animalia venenata, id est serpentes, pisces, bestiolae,

---

[1]) Cuius rei exempla, quae maximam partem Caroli Wessely officiositati debeo, praebent voluminum papyraceorum fragmenta, quae aetatem tulerunt, sat multa, veluti Ilias quae dicitur Bankesiana, quae in Wattenbachii speciminibus tab. IV exhibetur; Isocratis περὶ τῆς εἰρήνης oratio, quam edidit F. G. Kenyon *Classical texts from papyri in the British Museum* (1891) p. 79 cum tab. V; papyrus, qua Xenophontis Ἑλληνικῶν liber I continetur (de qua v. *Mitteilungen aus dem Papyrus Erzherzog Rainer* VI (1897) p. 113); ea, qua Ἰουλίου Ἀφρικανοῦ κεστὸς ιη′ ad nos pervenit (cf. Grenfell et Hunt *The Oxyrhynchus Papyri* III tab. V). Idem usus observatur in codicibus papyraceis, veluti in illo, cui Hesiodi carmina inerant, edito a C. Wessely *Studien zur Palaeographie und Papyruskunde* I p. III ss. Contra titulus in exordio collocatus est in Didymi commentariis orationum Demosthenearum (cf. H. Diels et W. Schubart *Didymos' Kommentar zu Demosthenes,* Berolini 1904, p. 72 s.). Notandum est omnes hos titulos ad instar eorum, qui in nostro codice f. 437ᵛ et 459ᵛ extant, lineolis quibusdam rectis vel in hamum curvatis inclusos esse.

[2]) Picturis his nihil, quod videam, commune est cum illis, quas in celeberrimo theriacorum codice Parisino suppl. gr. 247 saeculo X vel XI confecto extare refertur *Gazette archéologique* I (1875) p. 69 ss.; 125 ss. (cum tab. XVIII. XXXII); II (1876) p. 34. 87 s. (cum tab. XI XXIV). De quibus v. G. Thiele De antiquorum libris pictis (Marpurgi Cattorum 1897) p. 31 s.; G. Swarzenski *Jahrbuch des deutschen archaeolog. Instituts* XVII p. 46 adn. 6.

[3]) Cf. v. c. f. 399ʳ et 399ᵛ, 400ʳ et 400ᵛ, 401ʳ et 401ᵛ multosque alios locos.

alia. Herbarum vero, quae in theriacorum carmine plurimae tractantur, imagines non reperiuntur nisi in exordio libri f. 395^{v}—398^{r}; in ceteris autem capitibus initio quidem spatia satis ampla ad inserendas figuras relicta erant, sed opere progrediente ii, qui codicem confecerunt, consilium ipsas herbas depingendi abiecisse videntur et satis habuerunt in intervallis vacuis nomina herbarum, quae capitibus proxime subsequentibus proponebantur, litteris rubris permagnis titulorum quasi loco inscribere [1]); quod ut facerent, eo fortasse commoti sunt, quod herbae illae non quidem omnes, sed plurimae in herbario repraesentatae iam erant.

Iam si eas herbarum imagines, quas in initio libri extare diximus, cum picturis herbarii Dioscuridei comparamus, apparet illas modulo quidem minore quam has delineatas, sed sine dubio maximam partem ex eisdem exemplis expressas esse, quae in ipso herbario illustrando adhibita erant [2]).

Intra fines huius theriacorum versionis codex satis bene conservatus est. Neque tamen desunt folia tenuiora atramento per membranam transmisso obscurata aut peius etiam corrupta [3]), qualia et infra in alexipharmacis inveniuntur (v. cap. XXVIII). His accedunt folia duo ita abscissa, ut angusta tantum marginis lacinia supersit [4]). Totae autem perierunt

---

[1]) Cf. f. 412^{r}. 413^{r}. 414^{r}. 414^{v}. 415^{v}. 424^{r}. 424^{r}. 425^{r}, alia.

[2]) Congruunt igitur *βλάχνον* sive *πτέρις* f. 395^{v} et 266^{r} (ubi *πτέρις* vocatur); *λιβανωτίς* f. 395^{v} et 69^{v}; *κάρδαμον* f. 396^{r} et 186^{v}; *ἄγνος* f. 396^{v} et 36^{r}; *ὀρίγανον* f. 397^{v} et 247^{r} (ubi dicitur *ὀρίγανος ὀνῖτις*); *ὀνόγυρον* f. 397^{r} et 252^{r} (ubi appellatur *ὀνόγυρος*); *ἀσφόδελος* f. 397^{r} et 26^{v}; *στρύχνος* f. 397^{v} et 292^{v}; *ἐρυθρόδανον* f. 397^{v} et 112^{r}; *μαλάχη ἀγρία* f. 398^{r} et 228^{v}. Contra differunt *μάραθον* f. 394^{v} et 229^{v}; *πευκέδανον* f. 397^{v} et 261^{r}; *μελάνθιον* f. 396^{r} non convenit cum *μελάνθῃ* sive *μελανθίῳ* f. 236^{v} proposito, sed simile est *χαμαιμήλῳ*, quod etiam *μελανθέμου* synonymo designabatur, cuiusque figura in codice N servatur f. 170^{r}. *Σίλφιον* denique f. 398^{r} in herbarium Dioscurideum receptum non est.

[3]) F. 410. 417. 418. 424. 427. 428; imprimis autem f. 433. 434. 437.

[4]) F. 404. 407. Inter f. 407 et 408 insertum est folium novicium 407*, in quo saeculo fere XVII figurae *σκυτάλης* et *βασιλίσκου*, quae f. 407 abscisso maximam partem perierant, a sciolo quodam depictae sunt addita nota quadam Germanica; cf. cap. XI.

membranae duae inter f. 401 et 402 olim collocatae. Porro eius, qui a. 1406 librum compegit, culpa quaterniones duo inter se commutati sunt; ex quibus ille, qui nunc numero *NS* notatus f. 424—431 comprehendit, praecedere debebat, alter vero priore nunc loco positus et numero *NE* signatus, quo folia 416—423 continentur, illum excipere (cf. cap. X).

Theriacorum versionem una plerumque cum alexipharmacorum et halieuticorum paraphrasibus, quae subsequuntur, ex codice nostro saepissime descripserunt medii aevi librarii graeci [1]). Huc pertinent libri Cheltenhamensis Phillipps. n. 21975 saec. XI et Athous monasterii Laurae saec. XII, quibus etiam carmen de herbis tradi memoravimus, Vaticanus Urbinas n. 66 saec. XV eiusque gemellus Laurentianus plutei LXXXVI n. 9, quorum uterque theriacorum paraphrasim in duas discerptam partes praebet, Laurentianus vero membranas illas duas inter 401 et 402 deperditas itemque folia trunca 404 et 407 integra exhibet, deinde ille fortasse liber, quem Gesnerus Venetiis viderat, (postea Escurialensis II. C. 24, hodie deperditus), Escurialensis Σ. I. 17 saec. XV; adde codicem Vindobonensem med. gr. 5 saec. XVI, cui hypothesis theriacorum inest. Picturae autem animalium venenatorum, quae huic parti additae sunt, expressae extant in codicibus Chigiano F. VII. 159 saec. XV f. 212^r—214^v et Bononiensi n. 3632 saec. XVI f. 380^v—384^v [2]). De his omnibus libris manu scriptis infra in praefationis parte quarta copiosius disseretur. Quos universos cum ex Constantinopolitano nostro pendere probabile sit, nullum equidem illarum paraphrasium exemplum invenire potui, quo ad alium archetypum referri videamur. Qua tamen de re tum demum certum absolutumque iudicium enuntiari poterit, cum omnes harum paraphrasium codices investigati et explorati erunt.

Eutecnii hanc paraphrasim codice nostro traditam esse

---

[1]) De codicibus paraphrasium Nicandrearum nonnulla congessit Fabricius Bibliothecae gr. ed. Harles. IV p. 347 adn. *i*; cf. p. 350.

[2]) Praeterea in scholiis Nicandreis codicis Gottingensis philol. 29 fragmenta paraphrasium et theriacorum et alexipharmacorum insunt, quae Schneider suis in editionibus adhibuit. Cf. infra cap. XXVIII.

primus adnotavit Lambecius [1]), quem exscripsit Nesselius [2]). Idem Lambecius imagines serpentium aliorumque animalium venenatorum, quae inde a f. 398ᵛ habentur, aeri incisas et observationibus illustratas proposuit Comment. vol. VI [3]), unde repetivit Nesselius [4]). Postea easdem figuras depingendas curavit C. Weigelius, qui annis 1793 et 1799 codicem C excussit; in cuius collectaneis in bibliotheca regia Berolinensi servatis etiam nunc extant [5]).

Primus autem hanc theriacorum versionem una cum eiusdem Eutecnii paraphrasi in alexipharmaca Nicandri impressam [6]) proposuit Ang. Mar. Bandinius bibliothecae Laurentianae praefectus [7]). Quo quidem negotio ita functus est, ut in initio libri (inde a p. 283—313; ad v. 1—540) [8]) solum

---

[1]) Comment. ed. Kollar. II p. 260 s., ubi p. 261 proponitur hypothesis f. 393ʳ scripta; cf. VI p. 206. A Lambecio pendet Fabricius l. c. IV p. 347.

[2]) Catalog. III p. 9.

[3]) Ed. prior. VI p. 90 s.; 294—302; tab. A, B, C p. 294 adiectis; ed. Kollar. VI p. 441—451 cum tabularum p. 436 adiectarum et A, B, C litteris signatarum figuris 2—43. A Lambecio item singulis figuris f. 398ᵛ—431ᵛ numeri Arabici additi sunt (cf. cap X).

[4]) Catalog. III p. 10—14 cum tabulis K, L, M p. 8 adiunctis.

[5]) C. de Boor *Verzeichniss der griech. Handschriften der königl. Bibliothek zu Berlin* II p. 144 testatur in codice graeco *fol.* 39, quo Weigelii collationes continentur, haec inesse: 42. *Farbige Abbildungen von Thieren mit der Aufschrift: Hae icones quae historiae animalium illustrandae inservire possunt, pertinent ad Codicem Ms. r. Graecum* <*Vindob.*> *Med. V. vid. Lambec. lib.* 6 *p.* 90. 91 et 294 *et seqq.*

[6]) De paraphrasium Eutecnianarum editionibus disputant Fabricius l. c.; L. Choulant *Geschichte u. Literatur der älteren Medicin* edit. alt. I p. 64.

[7]) *Νικάνδρου θηριακὰ καὶ ἀλεξιφάρμακα.* Nicandri theriaca et alexipharmaca. Ioannes Gorrhaeus latinis versibus reddidit... Accedunt variantes codicum lectiones, selectae adnotationes, et graeca Eutecnii sophistae metaphrasis ex codicibus Mediceae, et Vindobon. bibliothecae descripta ac nondum edita. Curante Ang. Mar. Bandinio. Florentiae 1764. 8°. Titulum hunc subsequitur elogium, quo Bandinius Gerardo van Swieten, viro clarissimo bibliothecae Caesareae tum praefecto, Eutecnii sophistae in Nicandri theriaca et alexipharmaca metaphrasim „ex antiquissimo et celeberrimo codice Caesareae Vindob. bibliothecae descriptam" offert. Paraphrasis in theriaca legitur p. 283—340; alexipharmacorum versio p. 340—375.

[8]) P. 315—345 ed. Schneideri; p. 219—227 ed. Bussemakeri.

codicem Vindobonensem exprimeret, deinde mediam partem (p. 313—329; ad v. 541—675) [1]) ex Laurentiano plutei LXXXVI n. 9 [2]), quem et ipsum ex Vindobonensi derivatum esse diximus, describeret variis lectionibus Vindobonensis in calce paginarum adiectis, in fine denique (p. 330—340; ad v. 676—958) [3]) rursus solum Vindobonensem sequeretur. Qua in re usus est apographo codicis nostri, quod Ioannes Ludovicus Bianconius anno fere 1760 suum in usum conficiendum curaverat [4]). Erravit autem vir egregius, cum huius editionis p. 313. 330 (cf. p. 282) adseveravit eas partes, quas ex solo Vindobonensi petiverat, in Laurentiano desiderari. Ipse enim aliquot annis post in Catalogo codicum graecorum bibliothecae Laurentianae III p. 328 s. theriacorum paraphrasim in duas quidem partes discerptam, sed plenam e codice LXXXVI, 9 eruit atque ibidem p. 328—331 lacunas quasdam editionis suae, quae his locis Vindobonensis valde mutili apographo innitebatur, ex eodem Laurentiano supplevit [5]). Deinde textum a Bandinio propositum et eiusdem supplementis auctum a. 1816 denuo imprimendum curavit Ioannes Gottlob Schneider Saxo [6]), qui ipsos codices praeter unum Gottingensem (philol. 29), cuius lectiones interdum in calce adiecit [7]), inspicere super-

---

[1]) Cf. p. 330; sunt Schneideri p. 346—354, Bussemakeri p. 227—230.

[2]) In praefatiuncula, quae p. 282 legitur, codicis signum falso ita indicatur: Cod. VIII Pl. LXXXIV.

[3]) P. 354—371 ed. Schneideri; p. 230—234 ed. Buss.

[4]) Cf. Bandinii praefatiunculam p. 282, quam repetivit Schneiderus p. 311 s.: *L'eruditissimo Sig. Dottore Gian Lodovico Bianconi, Consigliere e Medico primario della Corte Elettorale di Dresda, ed ora destinato dalla medesima suo Ministro residente in Roma, mi à gentilmente trasmessa la copia della metaphrasi di Eutecnio, che dal codice di Vienna per la sua privata nobilissima Biblioteca si procurò fino dall' A.* 1760. Ipsum Bianconii apographum ubi iam lateat, ignoro.

[5]) Cf. ea de re Schneiderum in alexipharmacorum praef. p. XI.

[6]) *Νικάνδρου Κολοφωνίου θηριακά.* Nicandri Colophonii theriaca ... cum scholiis graecis auctioribus, Eutecnii metaphrasi graeca ... recensuit ... Io. Gottlob Schneider Saxo. Lipsiae 1816. 8°. Praefatio in paraphrasim legitur p. 311—314; subsequitur textus p. 315—371.

[7]) V. p. 325 adn. 8; p. 338 adn. 10; p. 350 adn. 4. 5. Cf. supra p. 144 adn. 2.

sedit, scripturam vero libri Laurentiani vitiosissimam et difficilem haud paucis locis coniectura corrigere studuit. Ex recentioribus vero, qui scholia Nicandrea tractaverunt, unus, quod sciam, U. Cats Bussemaker Eutecnii paraphrases theriacorum et alexipharmacorum in scholiorum Theocriti Nicandri Oppiani editione Didotiana [1]) a. 1849 typis mandavit, qui lectionibus a Bandinio et Schneidero prolatis contentus ipsos libros manu scriptos non examinavit [2]).

CAPUT XXVIII. DE EUTECNII PARAPHRASI IN NICANDRI ALEXIPHARMACA.

Eutecnii versionem theriacorum interiecta pagina vacua (f. 438r) subsequitur f. 438v—459v eiusdem auctoris paraphrasis in Nicandri alexipharmaca. Atque initium huius quoque opusculi inscriptione caret. F. 438v litteris rubris superscriptum est: *Τῶν Νικάνδρου ἀντιφαρμάκων τάδε ἔνεστιν*; subicitur capitum index duabus columnis, in quibus versus minio picti et nigro atramento scripti alternantur, exaratus, cui manu recentiore duorum capitum argumenta addita sunt. F. 439r post inscriptionem rubram *Ἀλεξιφάρμακα* incipit paraphrasis praefationis Nicandri his verbis: *εἰ καὶ μὴ τῆς αὐτῆς εἶναι πόλεως μηδ' ἔθνους*, desinit ita: *σαφέστατα διαγγέλλοντες διδάσκουσι λόγοι*. F. 439v rursus vacat. Deinde f. 440r legitur *Ἀκόνιτον* pro capitis titulo positum; iam sequitur ipse paraphraseos textus his verbis initium capiens: *ἐπιγνώσει δὲ τὴν βοτάνην αὐτίκα δὴ μάλα*, qui continuatur usque ad

[1]) Scholia in Theocritum auctiora reddidit... Fr. Duebner. Scholia et paraphrases in Nicandrum et Oppianum partim nunc primum edidit, partim collatis cod. mss. emendavit, annotatione critica instruxit... U. Cats Bussemaker (Parisiis 1849. 8°). Extant paraphrases theriacorum p. 219—234, alexipharmacorum p. 234—242; accedunt adnotationes in utramque p. 418—422 et p. 422—425. Cuius editionis paginas et versus infra in conspectu codicis citabimus.

[2]) Cf. praefationis post p. 376 insertae p. X.

f. 459ᵛ, ubi ita desinit: *διὰ παντὸς θεσμούς τε καὶ νόμους*. In fine autem huius opusculi, sicuti paraphraseos theriacorum, subscriptus est titulus litteris rubris ita conceptus:

Παράφρασις εἰς τὰ Νικάνδρου
ἀλεξιφάρμακα Εὐτεκνίου
σοφιστοῦ.

Videmus hunc quoque libellum initio titulo carere, in fine vero subscriptione instructum esse; qua de re idem valet, quod supra (cap. XXVII) in theriacorum paraphrasi diximus, ad libros papyraceos hanc titulorum rationem esse referendam.

In textu conscribendo membranis non pepercit librarius. A quo folia 438ʳ et 439ᵛ vacua relicta esse iam memoravimus. Quattuor porro capita in priore libri parte (f. 440ʳ—445ᵛ collocata in summis paginis incipiunt, ita ut si quid paginae in fine capitis supersit, vacuum relictum sit. Quod quidem in eis, quae sequuntur, capitibus non observatur; sed haec quoque magnis intervallis intercedentibus perscripta sunt, quae fortasse aliqua ex parte imaginibus inserendis destinata erant· Sed nihilo minus nescio qua de causa picturae huic codicis parti omnino non accesserunt. Capitum initiis rubris litteris praefixus est titulus; item primus cuiusvis capitis versus, qui maiore littera incipere solet, aut totus minio pictus est aut primam interdum litteram rubram exhibet. Sed et intra capitum contextum sectiones quaedam factae sunt, quae novo versu litteraque maiore incipere solent.

Membranarum hac in parte compages integrae sunt nullaque foliorum iactura interruptae; neque tamen omnia lectu facilia et illaesa ad nos pervenerunt, quoniam atramento per folia tenuiora transmisso non solum paginarum obversarum scriptura obscuratur, verum etiam haud raro ipsa membrana corrosa est, ut litterarum non ductus, sed vestigia exesa supersint.

Una cum theriacis ab Eutecnio in prosam orationem conversis hanc quoque alexipharmacorum paraphrasim medio aevo saepissime ex nostro codice descriptam esse supra (cap. XXVII) notavimus, ubi singulos eius generis libros manu

scriptos recensuimus [1]). Quin etiam veri haud dissimile est codicem C non solum antiquissimum huius paraphraseos testem esse, sed omnia, quae quidem novimus, eiusdem exempla ex eo quodammodo fluxisse. Primus deinde hunc libellum, cuius Lambecius et Nesselius una cum theriacorum versione mentionem faciunt (cf. cap. XXVII), imprimendum curavit A. M. Bandinius in Nicandreorum editione supra (p. 145 adn. 7) citata p. 340—375, eisdem atque in theriacorum paraphrasi subsidiis usus, ita ut Laurentianum illum ex codice C expressum transscriberet additis ad calcem variis quibusdam ipsius libri Vindobonensis lectionibus. Cuius recensionem fere repetivit Io. Gottlob Schneider in editione alexipharmacorum a. 1792 in lucem data [2]), ita tamen, ut multas lacunas a Bandinio relictas vel adhibitis fragmentis paraphraseos Eutecnianae, quae in codice Gottingensi (philol. 29) [3]) invenerat posteriore manu adscripta, vel de suo coniciendo explere conaretur. Recentiore vero aetate textum a Bandinio et Schneidero constitutum denuo expressit U. Cats Bussemaker in editione Didotiana [4]) supra (p. 147 adn. 1) citata p. 234—242 (cf. p. 422—425) ipsis libris manu scriptis non inspectis.

---

[1]) His accedunt fragmenta paraphraseos Eutecnianae in codice Gottingensi philol. 29 saeculi XIII inter alexipharmacorum scholia manu recentiore saec. XIV marginibus adscripta, quae proponuntur in accuratissima horum scholiorum editione a G. Wentzelio curata *Abhandlungen der k. Gesellschaft der Wiss. zu Göttingen* XXXVIII (1892), *philol.-histor. Classe* 3, p. 21—95. Quae fragmenta quominus ex nostro codice fluxisse statuamus, nihil, quod videam, impedit. Neque tamen, satis certa huius affinitatis indicia ut investigarem, mihi contigit.

[2]) *Νικάνδρου ἀλεξιφάρμακα*. Nicandri alexipharmaca ... cum scholiis graecis et Eutecnii sophistae paraphrasi graeca ... emendavit ... Io. Gottlob Schneider Saxo. Halae 1792. 8°. De Eutecnii opusculo et codicibus disputatur praef. p. XI—XII. Ipsam paraphrasim non cohaerentem, sed in plurimas lacinias discerptam, plenam tamen eodemque ordine, quo a Bandinio exhibetur, procedentem inseruit Schneiderus inter „animadversiones in Nicandri alexipharmaca" p. 78—309.

[3]) De quo v. Schneideri praef. p. XIII; supra adn. 1.

[4]) In codicis conspectu hanc Bussemakeri editionem citabimus.

CAPUT XXIX. DE PARAPHRASI IN OPPIANI HALIEUTICA.

Eutecnii versionem alexipharmacorum Nicandreorum sequitur f. 460ʳ—473ʳ incerti auctoris [1]) — fortasse eiusdem Eutecnii — paraphrasis in Oppiani halieutica, qua exitus libri III atque libri IV et V integri comprehenduntur. Atque statim in principio huius partis quaestio exoritur intricata. Nam eo, quo codex nunc est, statu textus paraphraseos, qui f. 460ʳ nulla inscriptione praemissa in media sententia, qua caput finiebatur, abrupte his verbis incipit *τοῦ λίνου πρὸς τὸν αἰγιαλὸν ἐξέλκονται ἀγρευθέντες*, non ab exordio libri cuiusdam initium capit, sed a libri III versu 604, ita ut ea, quae praecedebant, desiderentur. Membranas rursus si examinamus, compages nota Ξ signata, quae folia octo 456—463, id est iustum et consuetum numerum, continet, nullum certum

[1]) Etenim subscriptio auctoris et argumenti, quae sine dubio nostri codicis f. 473ʳ extabat, nescio quo consilio cultro excisa est. Reliqui autem libri, quorum inscriptiones novimus, veluti Vat. Urb., Laurentianus, Athous *μονῆς Ἰβήρων* omnes ex nostro C derivati falso quidem subscriptionem alexipharmacorum, quippe quae in C f. 459ᵛ proxime praecedat, cum initio paraphraseos halieuticorum coniungunt, ipsam vero halieuticorum subscriptionem non indicant fortasse iam illis temporibus, quibus hi libri conscripti sunt, deperditam. Gesnerus vero, qui in codice quodam Veneto cum alia Eutecnii opuscula, tum et hanc paraphrasim in Oppiani de piscatione poema se vidisse adfirmat *adscripto,* ut ait, *ubique, si bene memini, Eutecnii nomine,* his ipsis verbis concedit fieri posse, ut memoria lapsus sit. Iam quod codex Parisinus suppl. gr. 688 saec. XVI Eutecnii sophistae paraphrasim in Oppiani halieuticorum libros III—V continere dicitur, id siquidem Omontii doctrinae non debetur, sed in ipso codice legitur, ad coniecturam docti cuiusdam viri, qui Gesneri verba novit, referri potest. Quae cum ita sint, apparet Eutecnii nomen eorum, quos novimus, codicum auctoritate destitutum in mera coniectura inniti, sed ea satis probabili, cum Eutecnium etiam paraphrasim in cynegetica alterum Oppiani carmen composuisse constet, quam plenam edidit O. Tueselmann *Abhandlungen der k. Gesellschaft der Wiss. zu Göttingen, philol.-hist. klasse* NS IV [1901] 1), et halieuticorum paraphrasis in libris manu scriptis — praesertim in C nostro — cum aliis Eutecnii opusculis consocietur.

iacturae indicium praebere videtur; accedit, quod folia in altera compagis parte posita 460—463 cum eis, quae antecedunt, (456—459) non glutine filisve compacta sunt, sed per ipsam membranam cohaerent. Quae cum ita sint, inter duas opiniones optio datur. Nam aut statuamus necesse est in ipso codice nihil periisse, sed ea, quae hodie tam mutila leguntur, antiquitus ex trunco exemplari transscripta esse; aut vero multo maiore cum probabilitate existimandum est fasciculum signo Ξ notatum aliquando multo plura folia continuisse, interque f. 459 et 460 sex fere membranas excidisse, quae ad librum tertium paraphraseos inde ab initio perscribendum suffecerint [1]). Quae quidem compages foliorum quattuordecim praeter consuetudinem admitti poterit, si meminerimus in nostro codice alios fasciculos membranarum duodecim vel sedecim inveniri (cf. cap. V). Librorum autem primi et secundi paraphraseos inter hos fines collocandorum nulla facultas est [2]).

Ea, quae ad librum tertium pertinent, una pagina (f. 460^r) contenta ita desinunt: *ὑπερφυῆ καὶ πασῶν εἶναι ταύτην θήραν εὐπορωτάτην.*

Pagina vacua interiecta sequitur f. 461^r—467^v liber IV, cui inscriptum est *βιβλίον Δ*; incipit: *καὶ μίξεως δέ τινες ἰχθύες ἀκράτως ἐπιθυμοῦσιν*; desinit: *διὰ τῶν φαρμάκων ἐπάγουσιν τοῖς ἰχθύσιν οἱ θηραταί.*

F. 468^r liber V, cui inscriptum est *βιβλίον Ε*, his verbis incipit: *ἐκ πάντων δή σοι, βασιλεῦ μέγιστε, λογιστέον, ὡς οὐδὲν*; idem desinit f. 473^r: *ἐπὶ τοῖς θεμελίοις ἄσειστα ῥειζωθείσης.*

In inferiore eiusdem folii parte, quae ceterum vacat, consulto, ut videtur, excisa est membranae lacinia quadrata,

---

[1]) Paraphrasis libri IV, qui versibus 693 constat, in nostro codice f. 461^r—467^v, id est paginis tredecim et dimidia continetur, paraphrasis libri V, qui versus 680 habet, f. 468^r—473^r, quibus olim accedebat folium unum nunc exscissum, id est paginis duodecim et dimidia.

[2]) Quae cum ita sint, prorsus reicienda est Petri Lambecii coniectura, qui Comment. ed. prior. II p. 594 s., ed. Kollar. II p. 262 suspicatur extitisse olim in hoc ipso codice, cum is integer adhuc esset, Eutecnii paraphrasim in Oppiani cynegetica, sed eam in lacuna quadam periisse.

in qua sine dubio subscriptio, qualis in superiorum paraphrasium fine adest, exarata erat. Atque coniciat quispiam id eo consilio factum esse, ut subscriptio in exordio huius partis iam deperdito, id est in principio libri III, tituli instar adglutinaretur. F. 473^{v} vacabat olim; in quo saeculo XVII exeunte a Petro Lambecio ratio quaedam de foliorum huius codicis numero inscripta est.

Libros IV et V vidimus in summis paginis rectis incipere; id quod etiam in ornithiacorum, quae subsequitur, paraphrasi observatur. Singuli autem libri in sectiones vel capita quodammodo divisi sunt; quae unius fere versus intervallo vacuo et lineola transversa plerumque disiuncta primum versum minio pictum et littera maiore incipientem exhibent.

Imaginibus vero haec pars omnino destituta est; quod in codice tot picturis ornato sane memorabile est, cum praesertim ipsum Oppiani carmen de piscatione aliis in libris figuris illustratum fuisse compertum habeamus [1]).

Halieuticorum paraphrasis theriacorum et alexipharmacorum versionibus plerumque adiuncta medio aevo saepissime ad nostri codicis exemplum descripta est sive eo ambitu, quo etiam nunc fertur, sive aliqua ex parte minore. Agnoscuntur autem apographa ex C sumpta ea re, quod in lacuna illa f. 460^{r} incipiunt atque prioribus omissis exitum tantum libri III, deinde libros IV et V praebent. Cuius generis esse videntur Escurialensis iam deperditus II. C. 24, Parisinus suppl. gr. 688 saec. XVI, Athous μονῆς Ἰβήρων (apud Lampron n. 4336 notatus), quibus accedunt libri duo gemelli, Vaticanus Urbinas n. 66 et Laurentianus plutei LXXXVI n. 9, particulam tantum eam exhibentes, quae C f. 460^{r}—462^{v} v. 23 legitur. Quos omnes cum ex C pendere manifestum sit, mihi quidem

---

[1]) De eiusmodi codice haec refert Conradus Gesnerus in Bibliotheca universali s. v. Oppianus: „Ibidem (id est Venetiis) in bibliotheca Bessarionis seu D. Marci libri de piscatione et venatione servantur cum figuris aliquot animalium vetustis, quas mihi depingendas curavi . . . . ., sed multae ex illis minime conveniunt descriptioni poetae"; cf. Schneiderus in praef. Oppiani a. 1776 editi p. XV.

nullum prorsus exemplum innotuit, quod ex alio fonte haustum plenum huius paraphrasis contextum contineat [1]).

Ea vero, quae codex noster vetustissimus et unicus fortasse archetypus servavit, a viris doctis prorsus neglecta iacent. Nam attinguntur quidem in transitu a Lambecio [2]) et Nesselio [3]), ex quorum catalogis etiam alii, veluti I. G. Schneider Saxo [4]), huius opusculi notitiam perceperunt; neque tamen ab ullo eorum, qui Oppianum ad id tempus ediderunt, temptata neque ad emendanda poetae verba adhibita sunt.

CAPUT XXX. DE PARAPHRASI IN ORNITHIACA DIONYSII.

Ultimo codicis antiqui loco indé a f. 474^r—485^v legitur incerti auctoris [5]) paraphrasis ornithiacorum — id est carminis de avibus — a Dionysio [6]) quodam Philadelphensi poeta con-

[1]) Diversa est ab hac paraphrasi halieuticorum ἐξήγησις quaedam, cuius textum pleniorem, ut videtur, citavit C. Gesnerus (v. Schneider l. c. p. XX s.; Bussemaker in Scholiorum in Theocritum, Nicandrum, Oppianum editione Didotiana a. 1849, praef. p. X); unde excerpta sunt, quae ex codice Parisino gr. 2753 proposuit Bussemaker l. c. p. 364—369.

[2]) Comment. ed. Kollar. II p. 260—262; VI p. 206 s.; unde pendet Fabricius Bibl. gr. (ed. Harles.) V p. 596 s.

[3]) Catalog. III p. 9.

[4]) V. praef. Oppiani a. 1776 editi p. XVIII s.

[5]) Opusculi huius subscriptio in nostro libro periit folio 485^v valde detrito. Item C. Gesnerus testatur in codice, quem Venetiis apud Arnoldum Arlenium viderat, sese in paraphrasi poematis Oppiani de aucupio nomen Eutecnii adscriptum non invenisse; v. infra p. 161; cap. XXXII n. VI. In codice Parisino gr. 1843 saec. XIII, unde I. A. Cramer et F. Duebner partem huius paraphrasis protulerunt (v. infra p. 158 adn. 3), f. 54 inscribitur περὶ ὀρνίθων; in Escurialensi Y. I. 9 (de quo infra p. 160 adn. 3) f. 185^r ἀπὸ τῶν τοῦ Ὀππιανοῦ ἰξευτικῶν. De reliquis quoque codicibus non satis constat; cf. Schneideri ed. p. 438. Nulla igitur certa librorum auctoritate Eutecnii nomen innititur, neque sermone cum Eutecnianis eis, quae praecedunt, haec paraphrasis satis convenire videtur.

[6]) Quod carmen hac paraphrasi in prosam orationem conversum in codicibus posterioris aetatis, veluti Escurialensi et Vesontionensi saec. XVI, atque in volgatis virorum doctorum (veluti Gesneri, Leonis Allatii, Lambecii, Nesselii, Windingii) commentationibus et editionibus sub Oppiani ixeuticorum inscri-

scriptorum, divisa in libros tres. Opusculum hoc omnium, quae codice nostro continentur, maxime mutilum est plurimarum membranarum iactura; qua de re ad conspectum parte quinta propositum relegare satis habeo. Paginae praesertim prima et ultima (f. 474^r et 485^v) adeo detritae, lacerae, sordidae sunt, ut ultima haec particula aliquamdiu tegumento caruisse videatur a reliquo codice seiuncta. Initium libri primi deest; textus incipit f. 474^r in medio capite de vulturibus his verbis: [ἀντιλή]ψεις εἰ καὶ πόρρω που τελευτήσειέν τι τῶν ζώων (p. 24, 4 ed. Crameri; p. 109, 6 ed. Duebneri). F. 477^r initium capit liber II, cui superscriptum est λόγος Β. Exordium libri III membranarum interitu excidit inter folia, quae nunc numeris 483 et 484 instructa sunt. F. 485^v medio desinit scriptiuncula his verbis: Διονύσιος δὲ | [αὐτὰ] παρὰ τοῦ τῆς Λητοῦς Ἀπόλλωνος δεδιδάχθαι φησίν. Haec sine dubio aliquando excipiebat subscriptio minio picta auctoris nomen et argumentum indicans, qualis in reliquarum huius codicis paraphraseon fine invenitur; neque tamen hodie agnosci potest in f. 485^v, quae pagina codicis utpote ultima usu valde detrita sordibusque inquinata, insuper recentioris aevi adnotationibus obscurata est.

Singuli libri, ex quibus unusquisque in summo folio recto

---

ptione fertur, videtur Conradi Gesneri coniecturae deberi. Nam in eius recensionis, quae codicibus C et Parisino traditur, initio expressis verbis verum auctoris nomen enuntiatur: πάνθ' ὅσα περὶ πτηνῶν τῷ ποιητῇ Διονυσίῳ συγγέγραπται (cf. Duebneri ed. p. 107); in fine vero utriusque versionis idem luculentissime repetitur: Διονύσιος δὲ αὐτὰ παρὰ τοῦ τῆς Λητοῦς Ἀπόλλωνος διδαχθῆναί (δεδιδάχθαί C) φησιν (cf. C f. 485^v versu paenultimo, ubi certa nominis Διονύσιος vestigia adsunt; ed. Duebneri p. 126). His adde, quae disputaverunt Schneider p. 437; Cramer p. 21. 42. Quae cum ita sint, Dionysii hoc poema de avibus haud diversum est a libris ὀρνιθιακῶν, quos Dionysium quendam poetam Philadelphia oriundum composuisse traditum habemus; qua de re disseruerunt E. Miller *Journal des savants* a. 1850 p. 482 s.; F. Duebner in editionis, quam statim citabimus, praef. p. II; Guil. de Christ *Geschichte der griech. Litteratur* ed. tert. p. 630; G. Knaack in Pauly et Wissowae encycl. V p. 925 n. 96. Contra Dionysium eundem esse atque illum, qui Periegetes vocatur, opinatur M. Wellmann Hermae XXVI p. 506 s.

incepisse videtur [1]), in capita distributi sunt; quae quidem in universum respondent capitum divisioni illi, quae in editionibus Schneideri, Crameri, Duebneri ex aliis libris manu scriptis recepta est. Atque in libris primo et secundo primus cuiusvis capitis versus litteris rubris pictus est; in libro vero tertio avis tantum designatio et si quae verba ei praecedunt minio distincta sunt. Porro in margine sinistra ad capitis cuiusque initium litteris minoribus uncialibus, sed quae ad cursivum, quod dicunt, scripturae genus propius accedunt, argumentum indicatur; veluti f. 474^{v}: *περὶ ἰκτίνου*, f. 475^{r}: *περὶ αἰγιθαλλοῦ*, paulo post *περὶ γλαυκός*, *περὶ ἰκτέρου*, similia; in libro III f. 484^{r} *θήρα κοσσύφων καὶ ἀηδόνων*, paulo inferius *θήρα αἰγίνθων* seq. Adde, quod eadem manu in exterioribus membranarum marginibus passim scholia adscripta sunt. Neque in argumentis neque in scholiis rubri coloris vestigia deprehenduntur; contra in utrisque persaepe conspiciuntur lineolae graciles, quarum binae in initio superponi, binae in fine subici solent. Utriusque vero generis additamenta indicia eiusdem aetatis, qua ipse textus conscriptus est, prae se ferunt, sed minore et modulo et elegantia exarata sunt quam scholia illa, quae carmini de herbarum viribus adiecta esse supra (cap. XXVI) diximus. Ex capitum inscriptionibus haud paucae vetustate et usu perierunt; aliae in tabulis photographica arte confectis exhiberi non poterant. Maiore autem damno scholia adfecta sunt, in quibus multae litterae vel voces, eae praesertim, quae in versuum fine extabant, aut ita detritae sunt, ut legi vix possint, aut bibliopegi cultro abscisae aut omnino cum membranarum particulis avulsae.

Iam transeamus ad i m a g i n e s v o l u c r u m vivissimis coloribus eleganter pictas, quibus paraphrasis illustrata est. Atque primum quidem nonnulla disputanda sunt de illo folio, quod primum locum nunc obtinet (f. 1). Cuius pars inferior antiqua est, lacinia vero superior recentiore aevo adglutinata. Alterum eiusdem diplomatis folium, quod cum folio 1 olim cohaeserat,

---

[1]) Veluti liber II f. 477^{r}, liber III in pagina iam deperdita, quae f. 483^{v} sequebatur.

penitus excisum est, ut parvum tantum resegmen inter folia 7 et 8 supersit. Folium 1r in parte suppleta adnotationem continet de codice anno 1406 compacto, quam excipit notula quaedam botanica; subiectae sunt in parte vetusta observationes quaedam aliae saeculo XV et XVI scriptae (cf. cap. XI). Lateris autem obversi (f. 1v) pars vetusta figuram supra aliquantum mutilatam exhibet pavonis rotantis, qui caudam gemmantibus pennis magnifice ornatam ostentat. Quae quidem imago margine carens et argumento et artificii genere prorsus differt a splendidis illis picturis, quae pulcherrimis marginibus circumdatae f. 2v—6v prolusionis quasi loco praefixae sunt herbario Dioscurideo, a quo pavonis picturam plane alienam esse extra dubitationem positum est. Nam explicationes symbolicas nimis artificiosas, quas Lambecius et Montfauconius [1]) de hac pictura in ipso codicis initio collocata protulerunt, singulatim refellere vix est operae pretium. Iam et argumento et artificii genere pavonis figuram ad illam partem transferendam esse elucet [2]), qua aves tractantur et picturis similiter conformatis illustrantur, id est ad paraphrasim ornithiacorum, de qua hoc capite exponitur. Quo in opusculo, quod in nostro codice misere mutilatum est plurimorum foliorum interitu [3]), quamquam hodie iam non invenitur pavonis descriptio, extabat tamen aliquando, ut ex plenioribus illius paraphraseos codicibus apparet, sub finem libri I [4]) in parte versa folii deperditi, quae proxime antecedebat folium numero 476 nunc instructum. Describitur igitur ineunte hoc capite pavo eodem habitu, quo folii 1v pictura repraesentatur.

---

[1]) Cf. Lambecius Comment. ed. prior. II p. 524; VI p. 90; ed. Kollar. II p. 133 ss.; VI p. 203; Montfauconius Palaeogr. gr. p. 196 s.; E. Diez *Die Miniaturen des Wiener Dioskurides* (*Byzantinische Denkmäler* ed. ab I. Strzygowskio III 1903) p. 30 s.

[2]) Si dempseris f. 1, folia 2—7 ternionem efficiunt, qualis in hoc codice alibi quoque invenitur (cf. supra cap. V n. 2). Cuius pagina prima, id est f. 2r secundum eam, quae in codicis nostri membranis obtinet, normam in animalis pelle lateri carnis respondet (cf. cap. V).

[3]) Vide ea de re conspectum codicis in parte quinta propositum.

[4]) P. 30, 15—24 ed. Crameri; l. I c. 28 p. 113 ed. Duebneri.

Τὸ κάλλος δὲ ὁ ταὼς τὸ οἰκεῖον τεθαύμακε, καὶ εἰ καλόν τις αὐτὸν ὀνομάσειεν, εὐθὺς τῶν πτερῶν τὰ ἄνθη μεμιγμένα χρυσῷ, ὥσπερ τινὰ λειμῶνα, δείκνυσιν ἀναστήσας, περιάγων εἰς κύκλον αὐτὰ διατεταγμένοις ὄμμασι· τὰ δὴ κατὰ τῆς οὐρᾶς λάμπουσιν ὥσπερ ἀστέρες αὐτῷ.

Quem ad textum referendam esse pavonis imaginem mihi quidem constare videtur; quaeritur tamen, quo paraphraseos loco folium, quod eam continet, inserendum sit. Iam vero ipso quaternione *ΞΓ*, cuius duae tantum membranae 474 et 475 aetatem tulerunt, folium 1 ita comprehensum fuisse, ut ad instar imaginis *ἐναλίας δρυὸς* (f. 391ᵛ) figura proxime praecederet caput illud de pavone, minime veri simile est; omnium enim spatiorum et intervallorum ratione habita intellegitur octo huius quaternionis folia quam accuratissime suffecisse volucrum descriptionibus et imaginibus inde ab exordio libri I usque ad c. 29 [1]), neque spatium relinqui capiti illi, quo pavo describitur, vicinum, quo duae illae paginae, prior, quoad videmus, vacua [2]), altera solam picturam continens, interiectae fuisse existimentur. Contra aptissime inseritur folium 1 ante paraphraseos exordium, ita ut libro primo simili ratione aliquando praefixum fuerit atque libro tertio f. 483 in anteriore parte vacuum, in posteriore avium XXIV imaginibus repletum. Sedes igitur folio 1 adsignanda est post f. 473 in fine compagis *ΞΒ*, ubi membranam unam deesse apparet [3]); folium autem, quod cum f. 1 cohaeserat, cuius exiguam particulam inter 7 et 8 superesse iam memoravimus, positum erat in eiusdem compagis principio inter folia 471 et 472, ubi item membrana una desideratur. Eum vero, quem nunc obtinet, locum folium 1 sine dubio debet Ioanni Chortasmeno, qui a. 1406 codicem denuo compegit; qui imaginem ex contextu exscissam nescius, quo pertinuerit, statim in principio adposuit [4]).

---

[1]) P. 21—31, 2 ed. Crameri; p. 107—113, 29 ed. Duebneri.

[2]) Nisi forte in summo folio 1ʳ nunc abscisso versus aliquot exarati erant.

[3]) V. codicis conspectum, quem infra parte quinta exhibebimus. Requiritur hoc loco membrana, cuius pars anterior lateri villorum, posterior vero lateri carnis respondeat; id quod in folium nunc n. 1 signatum quadrat.

[4]) De imagine pavonis, quam a C diversam exhibet codex Chigianus F. VII. 159, vide infra cap. XXXII n. II.

His praemissis de reliquis imaginibus dicendum est. Quae quidem in libris primo et secundo ipsi contextui interpositae sunt hunc in modum, ut aves pictae singulae, interdum binae et ternae caput, ad quod pertinent, praecedant; cuius generis figurae, quarum haud paucas in membranis deperditis excidisse constat, hodie servatae sunt viginti tres. Interdum autem, ubicumque artifici imago idonea praesto non erat, spatium, quo postea insereretur, vacuum relictum est [1]). Contra in tertio libro volucres eae, quae prioribus libris nondum tractatae novae accedunt, non in ipso contextu repraesentantur, sed ante huius libri initium f. 483ᵛ in unam tabulam congestae cernuntur, qua quidem aves viginti quattuor comprehenduntur. Quibus si addimus pavonem f. 1ᵛ expressum et imagines libris I et II exhibitas, duodequinquaginta avium figuras etiam nunc numerari apparet.

Sed haec iam sufficiant de forma, qua paraphrasis carminis de avibus in codice C ad nos pervenerit. Recensiones autem huius opusculi duae ad hoc tempus innotuere. Harum alterius testis, quem novimus, vetustissimus noster codex est, quo tamen viri docti in textu constituendo nondum usi sunt [2]); pars vero eiusdem recensionis sine picturis traditur codice Parisino gr. n. 1843 saeculi XIII, unde a Cramero a. 1839 et a Duebnero a. 1851 in lucem prolata est [3]). Atque miro

---

[1]) V. f. 475ᵛ. 477ʳ. 480ʳ. 481ʳ.

[2]) De huius paraphraseos editionibus disputant Fabricius l. c. V p. 601; Knaack l. c.

[3]) V. Anecdota graeca e codd. manuscriptis bibliothecae regiae Parisiensis. Ed. ab I. A. Cramero I (1839) p. 21—42. Continentur hac parte paraphraseos libri I et II, cuius tamen ultimo capiti *περὶ κύκνου* in fine nonnulla desunt, quae codicis C f. 482ʳ v. 11 ss. servata sunt. Repetivit fere Crameri recensionem F. Duebner in Poetarum bucolicorum et didacticorum editione Didotiana correcta (a. 1851 et denuo 1862 emissa) p. 107—121 (cf. praef. post p. 163 insertae p. I s.); finem autem libri II et librum III (p. 121—126) ex Schneideri editione, id est ex altera recensione subiunxit. — Eiusdem recensionis prioris fragmentum, quo libri I capita prima (p. 21—26, 21 ed. Crameri; p. 107—110, 48 ed. Duebneri) exhibentur, extat in codice Berolinensi gr. qu. 21 saeculo XVI exarato f. 140—142; cf. C. de Boor *Verzeichniss der griech. Handschriften*

horum duorum librorum consensu constat aut nostrum et Parisinum ex communi archetypo fluxisse, aut, quod mihi longe probabilius videtur, Parisinum ex C derivandum esse [1]. Quae cum ita sint, Parisinus illa in parte solidus atque integer in huius recensionis textu conformando maximi est momenti, quippe quo lacunae codicis C in paraphraseos libris I et II latissime hiantes suppleantur. Picturae denique in libro C deperditae quodammodo restitui possunt ex Chigiano F. VII. 159 saeculo XV confecto, cui f. 215^v—219^v septuaginta avium figurae insunt maximam partem ex codice nostro, cum adhuc integrior esset, expressae (v. cap. XXXII n. II) [2].

Ab hac Constantinopolitani et Parisini forma quam maxime discedit ea recensio, quam ex apographis duobus in Italiae bibliothecis confectis Erasmus Windingius a. 1702 protulit [3], cuius editionem foedissimis typorum erroribus corruptam [4] paucis de suo emendationibus adiectis a. 1776 repetivit Ioannes

---

der königl. Bibliothek II p. 179 s. n. 315. Priorem hanc recensionem adhibuit Demetrius Pepagomenus Constantinopolitanus saec. XIII ineuntis scriptor in opusculo *περὶ τῆς τῶν ἱεράκων ἀνατροφῆς*, quod extat in editione Aeliani a R. Herchero curata minore vol. II, et quidem cap. 11 (p. 345 s.), quocum comparandus est textus codicis C (f. 474^r) et Parisini (apud Duebnerum l. I c. 6 p. 109). V. E. Oder *Rhein. Museum* XLIII p. 547 adn. 1; G. Knaack l. c.

[1]) Cf. infra cap. XXXII n. X.

[2]) Artificem, qui in codice Vaticano Palatino lat. 1071 iussu Friderici II imperatoris composito tractatum „de arte venandi cum avibus" picturis illustravit, exemplaria Byzantina, veluti ipsum librum C sive codicem inde depictum, ante oculos habuisse suspicatur A. Venturi *Storia dell' arte italiana* III p. 756 s. — Praeterea in celeberrimo codice Parisino gr. 2737, qui continet Oppiani cynegetica et alia aliorum Angeli Vergecii manu anno 1554 descripta, exquisitissimae avium picturae extare dicuntur; cf. H. Bordier *Description des peintures et autres ornaments contenus dans les mss. grecs de la Bibl. Nat.* (Parisiis 1883) p. 286 s.; neque tamen examinare potui, quaenam ratio inter has nostrique codicis figuras intercederet.

[3]) Ante Windingium Leo Allatius hanc versionem edendam paraverat Symmictorum vol. IV, quod numquam in volgus prodiit; cf. huius operis indicem propositum a Fabricio Bibliothecae gr. XIV (1728) p. 6 (n. 47).

[4]) Eutecnii sophistae paraphrasis prosaica in Oppiani Ixeutica nunc primum ex mss. graece edita... ab Erasmo Windingio. Havniae 1702 (denuo 1715). 8°.

Gottlob Schneider Saxo [1]). Quam Windingii recensionem, quae etiam Laurentiano quodam codice [2]) et Escurialensi [3]) saec. XVI tradi videtur, si cum versione codicum Constantinopolitani et Parisini comparamus, in libris praesertim primo et secundo magnae statim differentiae agnoscuntur. Deest enim recensioni Windingii praefatio in alterius initio collocata; deinde modo haec, modo illa auctior est; porro ubicumque aliqua in sententia in universum inter se congruunt, in temporibus modisque, in verborum consecutione, in vocabulis singulis vel omissis vel adiectis incredibile quantum discrepant. Rectius sane utriusque recensionis indolem tum demum diiudicare licebit, cum omnibus undique codicibus diligenter conquisitis huius paraphraseos apparatus criticus plenus et emendatus praesto erit.

---

[1]) Oppiani poetae Cilicis de venatione libri IV et de piscatione libri V cum paraphrasi graeca librorum de aucupio. Graece et latine. Curavit I. G. Schneider. Argentorati 1776. 8°. De ornithiacorum paraphrasi v. praefationem p. V; de codicibus p. XVII s.; textus ipse impressus est p. 173—200. Accedunt animadversiones ad rem criticam et interpretationem spectantes p. 426—438. Textum, qualem Schneiderus praebet, ad verbum fere expressit F. S. Lehrs in Poetarum bucol. et didact. editione Didotiana priore (a 1845) p. 107—126. Incipit haec recensio in libris manu scriptis his verbis: *οἱ ἀετοὶ πλεῖστον ὑπερτεροῦσι.*

[2]) Inde ab Isaaco Vossio descriptam praebet codex Bruxellensis n. 21942; v. P. Colomesius Operum (ed. Hamburgi 1709) p. 859 n. 152; H. Omont *Catalogue des mss. grecs de la bibl. roy. de Bruxelles* (seorsum impr. ex ephemeride *Revue de l'instruction publique* XXVII. XXVIII) (1885) p. 27 n. 86. In Bandinii catalogo codicem illum non repperi. De Vossii studiis in hanc paraphrasim collatis vide Schneideri ed. p. 437 s.

[3]) Est codex Y. I. 9, cuius f. 185^r haec inscriptio extat *Ἀπὸ τῶν τοῦ Ὀππιανοῦ ἰξευτικῶν.* Incipit hoc opusculum eisdem verbis atque in Windingii versione: *οἱ ἀετοὶ πλεῖστον.* V. E. Miller *Catalogue des manuscrits grecs de l'Escurial* p. 187 s.; F. Duebner l. c. praef. p. III; C. E. Ruelle *Archives des missions scientifiques* ser. III t. II (1875) p. 559 n. 3; C. Graux *Essai sur les origines du fonds grec de l'Escurial* (*Bibliothèque de l'école des hautes études* XLVI 1880) p. 209 s. — Liber manu scriptus bibliothecae Vesontionensis saec. XVI, cui „Eutecnii sophistae paraphrasim in Oppiani ixeutica" inesse testatur H. Omont *Inventaire sommaire* III p. 363 n. 12, cuiusnam versionis sit, non liquet.

Medium fere inter recensiones priorem et alteram stabat exemplum quoddam in bibliotheca Escurialensi aliquamdiu servatum, cui multae lectiones ex ipso codice C depromptae infuisse videntur; quod Conradus Gesner Venetiis nactus latine versum, sed in plurimas discerptum lacinias operi de avium historia inseruit [1]).

Libellum de avibus codice nostro contineri iam Augerius de Busbecke a. 1562 (v. cap. III), deinde Lambecius [2]) et Nesselius [3]), qui hanc paraphrasim Eutecnio tributam ad Oppiani ixeutica rettulerunt, in catalogis codicum indicaverant. Neque tamen ii, qui hunc textum postea ediderunt, Windingius et Schneider et Duebner, quibus omnibus codex ex Lambecii descriptione notus erat [4]), ut vetustissimi huius libri lectiones adipiscerentur, operam dederunt [5]). Atque pariter scholia in marginibus adscripta editoris curam etiam nunc expectant [6]).

CAPUT XXXI. DE MENAEI FRAGMENTIS IN CODICIS FINE ADNEXIS.

Subiuncta sunt in codicis fine folia sex numeris 486—491 notata, temporis atque argumenti omnino diversi, eis, quae praecedunt, paulo minora, alta centimetra 34.5, lata cent. 27.5. Quorum singulae paginae binas exhibent columnas manu saeculi X vel fortasse XI ineuntis ita perscriptas, ut litterae minusculae secundum illius aetatis morem in lineis stilo

---

[1]) Repetita extat Gesneri versio in ed. Schneideri p. 321—344. V. de codice hoc Escurialensi (II. C. 24) cap. XXXII n. VI.

[2]) Comment. edit. Kollar. II p. 260; v. Montfauconius Palaeogr. gr. p. 211.

[3]) Catalog. III p. 9.

[4]) Cf. Windingius praef. f. 9 ss.; Schneider p. XVIII; Duebner praef. p. III.

[5]) Inter figuras animalium coloratas ex codice C expressas, quae in C. Weigelii collectaneis (cod. Berolin. gr. fol. 39 n. 42) adservantur (v. supra p. 145 adn. 5), ornithiacorum quoque imagines extare veri simile est.

[6]) In codicis conspectu, qui parte quinta proponetur, concinnando citabuntur paginae editionis a Duebnero volgatae, quam supra p. 158 adn. 3 laudavi.

derectis quasi suspensae sint. Quae fragmenta omnia ex uno codice deprompta esse apparet, ex quo praeterea laciniae aliquot a. 1406 in hoc libro denuo compingendo absumptae sunt [1]). Atque in Lambecii descriptione [2]) falso dicuntur hae membranae continere fragmentum vitae S. Antonii eremitae a S. Athanasio archiepiscopo Alexandrino conscriptae; imo vero pertinent ad vitas sanctorum trium, qui in Graecorum ecclesia mensis Ianuarii diebus IV. X. XVII coluntur, videlicet Pauli Thebaei eremitae, Theodosii coenobiarchae, Antonii Magni eremitae. Quam ob rem minime dubium est, quin codex, ex quo haec supersunt, menaei sive menologii ecclesiastici ea pars fuerit, quae sanctos mensis Ianuarii complectebatur [3]).

Restat, ut singula folia quidque iis contineatur eo ordine, quem in ipso menaeo obtinebant, enumeremus.

1. F. 488 et quod cum eo cohaeret, 489 insunt fragmenta vitae S. Pauli Thebaei, cui Ianuarii dies IV consecrata est, aliis ex codicibus a Math. Fuhrmanno a. 1760 editae [4]).

---

[1]) Cf. membranarum particulas in foliis 404ʳ, 407ᵛ, 473ᵛ adglutinatas. Reliqua membranarum frustula ex alio codice sumpta esse ex scriptura colligi potest; cf. supra cap. X.

[2]) Comment. ed. prior. VI p. 91; ed. Kollar. VI p. 208. Ex Lambecio pendet Nesselius Catalog. III p. 14.

[3]) Menaeorum, quae fuerant monasterii Prodromeni, in quo codex circa a. 1406 servabatur (v. cap. II), duo ad nos pervenere exemplaria. Quorum alterum est codex Parisinus gr. 1570 a Theoctisto quodam a. 1127 scriptus, qui vitas sanctorum mensis Novembris continet (de quo v. Montfauconius Palaeogr. gr. p. 58 s.; 305); alterum Tubingensis, quem memorat Crusius apud Lambecium ed. Kollar. IV p. 189 citatus, cum inscriptione *Τρίτον τρίμηνον*. His accedit Vindobonensis hist. gr. 66 (Lamb. 12), cui menaeum mensis Aprilis inest a Theoctisto quodam descriptum, qui fortasse a librario Parisini gr. 1570 haud diversus est (cf. V. Gardthausen *Griech. Palaeographie* p. 339). Qui liber cum et forma et scriptura cum nostri codicis foliis 486—491 minime congruat, iam superest, ut examinetur, si forte codex vel Parisinus vel Tubingensis cum his fragmentis melius conveniat.

[4]) Acta sincera S. Pauli Thebaei... studio Math. Fuhrmann. Neostadii Austriae 1760. 4°.

F. 488r inc. [*Αἰ*]*γυπτίους ἐπράττετο* (edit. c. 7 p. 11 v. 4);
f. 488v des. *ἐπὶ χρόνους ἤδη* (c. 9 p. 13 v. 27).
F. 489r inc. *μάρτυρας ἔσχεν* (c. 12 p. 18 v. 15);
f. 489v des. *ὑπολαβών, ἀλλ' οὐδεὶς* (c. 13 p. 20 v. 21).

2. F. 487 et 490 particulas exhibent vitae S. Theodosii coenobiarchae, cuius memoria die XI m. Ianuarii celebratur, a Simeone metaphrasta concinnatae, quae extat Mignei Patrologiae gr. CXIV.

F. 487v inc. *προηρημένος· μίγνυσι* (edit. c. 46 p. 516B v. 16);
f. 487r des. *τῆς εὐσεβείας ἀλεί*[*ψας*] (c. 48 p. 517B v. 22).
F. 490v inc. [*χα*]*λεπῶς τραύματος* (c. 60 p. 529C v. 40);
f. 490r des. *κρεῖττον αὐτῷ* (c. 62 p. 532C v. 40).

3. F. 486 et 491 continent frustula ex vita S. Antonii eremitae, cuius sollemne in diem XVII Ianuarii incidit, a S. Athanasio conscripta, edita Mignei Patrologiae gr. XXVI.

F. 486r inc. *τοῦτο γὰρ εὐχομένῳ* (edit. c. 59 p. 928B v. 27);
f. 486v des. *ἡμέρας ἐπύθοντο* (c. 60 p. 932A v. 6).
F. 491r inc. *ὅτι καὶ αὐτὴ* (c. 69 p. 941B v. 21);
f. 491v des. *Ἀντώνιος· ὑμεῖς δέ τι* (c. 73 p. 945A v. 4).

PARS QUARTA.

CAPUT XXXII. DE LIBRIS MANU SCRIPTIS, QUI EX NOSTRO CODICE PENDEANT.

Quae hoc capite componemus de libris manu scriptis, qui vel toti vel aliqua in parte ex codice Aniciae Iulianae derivati sint, neque erroribus neque lacunis posse exempta esse apparet. Nam exceptis Vindobonensibus unoque Parisino non ipsos codices inspicere potui, neque praesto erat apparatus criticus materiae medicae Dioscuridis eorumque opusculorum, quae in appendicem libri C recepta sunt, satis copiosus et emendatus, qui ad rem nobis propositam prorsus sufficeret; verum ea, quae proferre opus erat, repetere necesse erat ex editionibus obsoletis, catalogis bibliothecarum saepe nimis succinctis, virorum doctorum commentationibus, inter quas eae, quae Wellmannus de codicibus Dioscurideis disputavit, merito principem obtinent locum. Quae subsidia ab aliis ad alias res parata cum nostris desideriis non semper satisfecerint, dubium non est, quin ea, quae hoc loco proponemus, magna ex parte augeri et corrigi possint. Quam ad rem proximo iam tempore non solum Wellmanni editio materiae medicae, quam propediem volgatum iri nuntiatum est, multum sine dubio conferet, sed etiam merito sperare licet fore, ut hoc ipso codicis nostri simulacro photographico inter viros doctos pervolgato et cum bibliothecarum exterarum

libris manu scriptis, quibus Dioscuridis opera, carmen de viribus herbarum, paraphrases illae poematum didacticorum quattuor insunt, diligenter collato haud parum lucis quaestionibus hoc capite tractatis adferatur.

Quae utcumque se habent, iam nunc ex eis, quae hoc loco exhibebimus, colligere licet vetustissimum hunc et ornatissimum herbarii Dioscuridei codicem antiquiore iam fortasse aetate, certe autem inde a saeculo XIV saepissime descriptum et depictum atque ad libros Dioscurideos cuiuslibet generis supplendos, augendos, picturis exornandos adhibitum esse. Quod vero fragmenta Crateuae, carmen de viribus herbarum, paraphrases appendice traditas attinet, iam supra suis locis exposuimus codicem Aniciae Iulianae eorum saltem exemplorum, quos aliquo modo accuratius novimus, primarium, si non unicum fontem videri [1]).

I. Atque primum quidem disputandum est de codice Parisino graeco 2286 [2]), quem beneficio eorum, qui bibliothecae Parisinae praesunt, Vindobonam missum ipsi mihi inspicere licuit. Est chartaceus formae quae dicitur octavae, foliorum 170, medio fere saeculo XIV litteris minutis conscriptus continetque magnam satisque indigestam molem opusculorum, quae ad rem medicam et botanicam atque astrologiam spectant. Maximi vero ad codicis nostri historiam momenti esse hunc librum inde apparet, quod sive ipsius Neophyti monachi Prodromeni rei medicae et herbariae studiosi manu in usum monasterii S. Ioannis Prodromi Constantinopolitani conscriptus, sive ad Neophyti exemplar accurate expressus praeter alia herbarium Dioscurideum continet ex nostro codice derivatum, quem ea fere aetate in eodem monasterio adservatum esse aliunde compertum habemus (v. cap. II).

Sed cum de reliquis codicis partibus ad Omontii catalogum legentes relegare satis habeam, primum duos Neophyti tractatus accuratius adferre iuvat, quippe qui haud raro in aliis quoque libris manu scriptis cum opusculis ex codice C

---

[1]) Cf. supra cap. XXVI ss.

[2]) Cf. H. Omont *Inventaire sommaire* II p. 229.

derivatis coniuncti proponantur [1]). Folio igitur 105ʳ, unde codicem olim incepisse ex indice capitum (f. 168ʳ) patet, post brevem tractatum, cui inscribitur *Γαληνοῦ ἀρχιητροῦ ἀπορίαι ἰατρικαί*, iam sequitur *τοῦ αὐτοῦ* (id est Galeni) *μέθοδος τῶν ἀντιβαλλομένων εἰδῶν*. In margine autem manu recentiore additum est *Νεοφύτου περὶ ἀντιβαλλομένων*. Atque revera Neophytum haec congessisse ex Galeni scriptis testantur verba post praefatiunculam in eodem f. 105ʳ litteris rubris scripta: *ἐγὼ δὲ μοναχὸς Νεόφυτος κατὰ στοιχεῖον ταῦτα συνέταξα σποράδην αὐτὰ εὑρὼν καὶ πολλὰ προσθεὶς ἀπὸ τῶν ἐμαυτοῦ* (?). Praefatio inc.: *ἐν Ἀλεξανδρείᾳ γυναικός τινος*. Ipse textus inc. f. 105ʳ: *ἀντὶ ἀκανθίου σπέρματος λυχνιὰς*, des. f. 108ᵛ: *ἀντὶ ὤχρας κυπρίας χαλκίτην*. Galeni haec *ἀντιβαλλόμενα* a Neophyto in ordinem alphabeticum redacta permultis aliis codicibus inesse constat.

Haec excipit f. 108ᵛ † *Νεοφύτου μοναχοῦ πρόχειρος καὶ χρήσιμος σαφήνεια [καὶ συλλο]γὴ περὶ βοτανῶν καὶ ἄλλων παντοίων [εἰδῶν θε]ραπευτικῶν κατὰ στοιχεῖον*. Inc. f. 108ᵛ: *ἀμάρακον καὶ λευκάνθεμον, τὸ χαμαίμηλον*; deinde foliis transpositis ordo aliquantum turbatus est, ut folio 108ᵛ coniungi debeant folia 85ʳ—88ᵛ. Des. f. 88ᵛ in voce *ὤχρα*: *εἰς τὰς ἰσχυρὰς ἐμπλάστρους*. Hac in sylloge, quae multis aliis libris traditur [2]), nomina herbarum secundum

---

[1]) Cf. quae infra (n. VIII) dicentur de codicibus Mediolanensi, Berolinensi, Palatino.

[2]) Extat haec collectio medica adhuc inedita in codicibus saeculorum XIV—XVI sat multis, in quorum numero sunt Vat. Palat. 77 (saec. XIV ineuntis); Venetus (olim Nanianus) a. 1377 scriptus (cf. Mingarelli Graeci codices mss. apud Nanios asservati p. 439 n. 247); Paris. gr. 2256 (saec. XV); 2511 (saec. XV); Paris. suppl. gr. 684 (saec. XV); Taurinensis (apud Pasinum, Rivautellam, Bertam Codic. mss. bibl. regiae Taurinensis I p. 503, numero non indicato); Bodleianus Misc. 288 (cf. Coxe Catal. I p. 945); Mediolan. capituli metropolitani 3 (saec. XV; cf. E. Martini *Catalogo di mss. greci* I p. 44); Berolin. Phillipp. 1570 (saec. XVI). Cf. praeterea A. de Haller Bibliothecae botanicae I p. 170; Fabricius Bibl. gr. ed. Harles. VIII p. 662; XI p. 341; Krumbacher Hist. litt. Byz. ed. alt. p. 632. In codicibus Naniano, Mediolanensi, Berolinensi opusculum hoc ita inscribitur: *Νεοφύτου μοναχοῦ Προδρομηνοῦ πρόχειρος καὶ χρήσιμος σαφήνεια καὶ συλλογὴ κατὰ στοιχεῖον περὶ βοτανῶν καὶ ἄλλων παντοίων εἰδῶν θεραπευτικῶν*. Inc.: *Ἀμάρακον καὶ λευκάνθεμον, τὸ χαμαίμηλον*; desinit: *ὠκὶς ἡ σμαρίς· ὤκιμον τὸ βασιλικόν*.

litteras disposita explicantur aut synonymis, qualia in Dioscuridis codicibus — praesertim in C — auctor invenerat, aut vocabulis graecitatis volgaris; accedunt autem nonnumquam interpretamenta, quae ipsam herbarum speciem et vim respiciunt. Quae omnia magna ex parte ex codice C, qui Neophyto in ipso monasterio praesto erat, excerpta esse [1]) mihi quidem, postquam Neophyti libellum diligenter perlegi, certissimum videtur; neque tamen, ne iusto longior sim, singula referre iuvat.

Sed iam accedamus ad ipsum herbarium Dioscurideum ex codice C depromptum, quod eo, qui nunc obtinet, chartarum ordine statim in Parisini exordio collocatum est. Atque ipse titulus [2]) f. 1^r exaratus ex C f. 10^v s. accuratissime expressus est: *[Τάδε ἔ]νεστιν Πεδανίου Διοσκουρίδου Ἀναζαρβέως Κιλικίας [περὶ βοτανῶ]ν καὶ ῥιζῶν καὶ χυλισμάτων καὶ σπερμάτων συνφύλλων [τε καὶ φα]ρμάκων κατὰ στοιχεῖον. ἀρξώμεθα τοίνυν ἀκολούθως ἀπὸ τοῦ [ἄλφα] καὶ ἀπὸ τῆς βοτάνης τοῦ πατρὸς Διὸς Κρόνου.* Inc. f. 1^r: *[ἀείζωον τ]ὸ μέγα. οἱ δὲ ἐριθαλὲς· οἱ δέ ἀμβροσία.* Des. f. 53^v in capite, quod inscribitur *ὤκιμον*, his verbis: *ὑπὸ σκορπίου ἄσωστοι διατίθενται.*

Herbarii textus, qui figuris omnino caret, paucis exceptis eodem fere ordine procedit atque in libro C. Neque tamen omnes herbae, quae in C etiam nunc extant, receptae sunt, neque ipsa descriptionum verba integra ubique redduntur. Permulta nihilo minus huic quasi epitome capita insunt, quae in C propter plurimarum membranarum interitum hodie desiderantur. Quam ob rem Parisinum saepissime adhibuimus in pristino contextu codicis C restituendo (cf. cap. XII n. 6). Neque ei, qui aliquando alphabeticam herbarii Dioscuridei recensionem editurus est, hunc librum, quo tot codicis C

Et in Parisino gr. 2286 et in codicibus reliquis plerisque adiuncta sunt huic scriptiunculae *λεξικὸν τῆς τῶν βοτανῶν ἑρμηνείας* interdum (veluti in cod. Mediol.) Galeno tributum et versio Graeca vocum aliquot Persicarum ad rem herbariam spectantium.

[1]) Veluti initium, quod supra citavimus, haustum est ex C f. 32^r: *ἀμάρακον... οἱ δὲ λευκάνθαιμον... οἱ δὲ χαμαίμηλον.* Cf. etiam supra p. 22.

[2]) De titulo et de Crateuae fragmentis cf. A. G. Costomiris *Revue des études grecques* II p. 362.

capita servata sunt, neglegere licebit. Porro Crateuae et Galeni fragmenta, ubi in C exhibentur, partim integra, partim contracta in Parisinum relata sunt.

Inter herbarum synonyma librarius ea quoque inseruit, quae latina litteris latinis scripta saeculo XIII ab hominibus ex occidente oriundis, penes quos liber C tum erat, imaginibus adiecta sunt (v. supra p. 18 s.). Quae vocabula praemissis verbis οἱ Φράγγοι sive Φράγγοι litteris graecis transscripta primum (f. 1^r) in margine, deinde (f. 1^v ss.) in ipso contextu proponi solent, a librario, qui scripturam illius aetatis latinam, imprimis compendia, parum intellexerat, mirum saepe in modum detorta. Veluti f. 1^r ad ἀείζωον τὸ μικρὸν in margine adscriptum est οἱ Φράγγοι σεμπερβίβουμ μίνους (cf. C f. 13^v), ibidem ad ἀείζωον τὸ λεπτόφυλλον accedit οἱ Φράγγοι σεμπερβίβου οὑμικουλάρι (v. C f. 14^r). Ad herbam, cui nomen ἀριστολοχία μακρὰ, additum est (f. 1^v) Φράγγοι ἀρισκολούγκα, cui in C f. 17^v haec respondent *aristol. loga*. Herbam, quae graece ἀρτεμισία ἑτέρα πολύκλωνος vocatur, Franci appellare dicuntur f. 2^r ἀλλικάρτεμι, quod ortum est ex C (f. 20^v) inscriptione male intellecta *alia arth.* (id est *alia arthemisia*). Praeterea aliae quoque adnotationes saeculis XIII et XIV litteris minusculis in C inscriptae magna ex parte in Parisini contextum insertae sunt; ex quibus nonnullae etiam pleniores hodie in hoc libro leguntur quam in C [1]). Accedit, quod in marginibus permulta additamenta ex aliis materiae medicae codicibus, integra interdum capita de herbis, quae in alphabetica libri C recensione desunt, adici solent.

In herbarii fine subicitur tractatus περὶ μανδραγόρας. Inc. f. 53^v: ἔστι καὶ ἄρρην μανδραγόρας, ἔστι καὶ θήλεια. Quae continuantur f. 52^r. 52^v. Desinit hoc caput f. 52^v: ὁπότε διὰ κυναρίου ἀνασπασθῇ. Accedunt f. 52^v tres mandragorarum figurae. Haec quoque ex C descripta sunt, videlicet ex foliis tribus chartaceis postea

---

[1]) Cf. v. c. notam C f. 274^v margini superiori saec. XIII vel XIV ineunte adscriptam et bibliopegi cultro aliquantum laesam cum Parisini f. 33^v. — Manum eius, qui librum Paris. conscripsit, id est fortasse ipsius Neophyti, in C uno loco (f. 339^v) deprehendi in adnotatione: οἱ δὲ γαλατζίδα καλοῦσι; cf. imprimis Paris. f. 44^r de tithymalo characia: κοινῶς γαλατζίδα.

insertis (f. 287—289), ita tamen, ut horum textus ex Dioscuridis materia medica IV 76 (p. 570—573 Spr.) excerptus alio nescio quo codice Dioscuridis adhibito correctus atque in fine auctus sit.

Iam superest, ut subscriptionem in medium proferamus, qua evincitur codicem aut ipsum a Neophyto scriptum esse aut ad Neophyti exemplar expressum. Quae quidem f. 168r ante indicem collocata est:

† *Θεοῦ τὸ δῶρον καὶ πόνος Νεοφύτου.*
Τῆς Προδρομικῆς μάνδρας καὶ Πετρωνύμου,
τῆς κειμένης ἔγγιστα τῇ (sic) *Ἀετίου,*
ἡ βίβλος ἥδε τῆς φιλανθρώπου τέχνης.

Ex his versibus primus nomine tantum mutato et tertius inde a saeculo XII ineunte saepius inveniuntur in subscriptionibus librorum monasterii Prodromeni (cf. p. 21 adn. 1).

II. Praecipuum inter libros, qui ex nostro derivati sunt, locum obtinet codex Romae in bibliotheca principis Marii Chigi sub signo F. VII. 159 adservatus [1]). Est membranaceus, formae, quae dicitur, quartae oblongae, foliorum 238, saeculo XV, ut statim apparebit, depictus et exaratus. Textu Dioscurideo omnino caret solas herbarum et animalium figuras continens una cum vocabulis graecis saeculo XV fere medio superscriptis, quibus alteri tituli graeci itemque transscriptiones aliaeque notae latinis litteris perscriptae postea accesserunt. His quidem picturis tres quasi series efficiuntur, quarum unaquaeque ordine alphabetico disposita est. Ex quibus prima

---

[1]) Adfinitatem, quae inter hos libros intercedit, primus perspexit A. Venturi *L'erbario di Dioscoride nella biblioteca Chigiana,* quae commentatio prodiit in ephemeride Romana *Cronache della civiltà Elleno-Latina,* a. I n. 22 (die 15 Februarii 1903) p. 209 s.; cf. eiusdem *Storia dell'arte italiana* III (1904) p. 758 adn. 1. Uberiorem Chigiani descriptionem nuper dedit O. Penzig *Contribuzioni alla storia della botanica* (Mediolani 1905. 8°) capite II, cui inscriptum est *Sopra un codice miniato della materia medica di Dioscoride conservato a Roma,* p. 241—282, adiectis tabulis I—VIII. Nostra denique causa codicem inspexerunt Ludovicus Pastor vir inlustris, qui Romae instituto Austriaco studiorum historicorum praeest, iussuque Pastoris Henricus Pogatscher instituti eiusdem bibliothecarius, qui, quae in hoc libro observaverat, summa officiositate copiosissime nobiscum communicavit.

foliis 1^{r}—171^{v} collocata paucissimis, quae discrepare videntur, exceptis easdem prorsus herbarum imagines continet, quae in C insunt [1]), eisdem plane titulis insignitas eodemque ordine sese excipientes, ut ἀείζωον τὸ μέγα initium faciat et ὤκιμον ἕτερον agmen claudat. Figurae vero, quae hac parte exhibentur, sunt 406 [2]), qui quidem numerus illum, qui in libro C inde ab anno 1406 servatus est, longe superat (cf. cap. XII n. 6).

F. 172^{r}—196^{r} (198^{r}) altera iam sequitur series, litterarum pariter ordine concinnata, quam tamen ex herbarum inscriptionibus apparet ad recensionem alphabeticam herbarii Dioscuridei non redire, sed ex codice quodam primitivum materiae medicae contextum exhibente figurisque illustrato haustam esse. Qua in re sane notandum est nonnullas huius partis herbas teste Penzigio (p. 273) quam maxime illis respondere, quae in serie prima extant ex C expressae. Deinde f. 198^{r} adest imago manu posteriore *Corallus* inscripta, qua pictura ἐναλίας δρυὸς codicis nostri f. 391^{v} proposita redditur [3]). Iam subsequitur f. 199^{r}—207^{v} tertia imaginum series, qua arbores potissimum in Dioscuridis materia medica tractatae effinguntur.

Porro f. 212^{r}—214^{r} habentur figurae 28 serpentium, item f. 214^{v}—215^{v} imagines 25 bestiolarum, quibus nomina graeca litteris maiusculis minio pictis et ornatis adscripta sunt, et numero et forma haud diversae ab illis, quae C nostri

---

[1]) Accuratissime has figuras ex C depictas esse colligitur et ex descriptionibus magnae herbarum partis, quas exhibet Penzigius l. c. p. 253—272, et ex eiusdem auctoris tabula V, ubi qui repraesentatur φασίολος, simillimus est φασιόλῳ C f. 370^{v} expresso. Contra φασιόλου figura, quam Penzigius tab. VI comparandi causa cum tabula V composuit, aliquantum differt, quia non ex C, sed ex codice adfini Neapolitano petita est; cf. supra cap. XXV. Item testatur Pogatscher herbas, quae λυχνὶς στεφανωματικὴ et μῶλυ vocantur, Chigiani f. 96^{v} et 106^{v} propositas et lineis et coloribus quam simillimas esse eis, quas ex codice C expressit M. Wellmann *Krateuas* tab. I. II.

[2]) De herbis 559, quas in seriebus prima et altera extare Penzigius p. 248 auctor est, deducendae sunt 153 seriei alterius, quas ille p. 272—277 recenset. Pariter Pogatscher nobis auctor est prima serie comprehendi figuras 405, sive si f. 7^{r} duas herbas repraesentari respicimus, 406.

[3]) Cf. Venturi *Cronache* p. 209, qui de differentiis quibusdam, quae inter duas has imagines intercedunt, nonnulla disputavit; Penzig p. 248.

f. 398ᵛ—411ʳ exhibentur. Accedunt f. 215ᵛ—219ᵛ avium figurae item ex codicis nostri ornithiacis depromptae, verum eis, quae hodie in C inveniuntur, multo pleniores (cf. cap. XII n. 6) [1]).

---

[1]) Insigni Pogatscheri comitati index debetur, qui sequitur, avium in codice Chigiano depictarum. Atque seriem ornithiacorum libris I et II comprehensam, in qua C figuras 24 hodie praebet (f. 474ʳ—482ʳ), exprimunt in Chigiano f. 215ᵛ—218ᵛ imagines 46 numeris plerumque et titulis graecis minio pictis praeditae; quibus accedunt numeri arabici et nomina latina nigro atramento postea adpicta, quae nos hoc loco omisimus. In titulis adferendis nomina volucrum, quarum imagines in C exciderunt, asterisco * notavimus.

F. 215ᵛ *α΄ *ἄετος — β΄ *ἅρπη — γ΄ ἱέραξ — γ΄ ἱέραξ — δ΄ ὠκύπτερον*;
f. 216ʳ *ε΄ ἴκτινος — ς΄ *γύψ — ζ΄ γλαυξ — η΄ ἴκτερος — θ΄ αἰγιθαλός — ι΄ *σελευκίς — ια΄ χίσσα*;
f. 216ᵛ *ιβ΄ *χελιδών — ιγ΄ ψιττακός — ιδ΄ *ἴυγξ — ιδ΄ *ἴυγξ — ιε΄ *περιστερα — ις΄ *τρυγών — ιζ΄ *ἀλεκτρύων — ιζ΄ *ἀλεκτορίς*;
f. 217ʳ *ιη΄ *κόραξ — ιθ΄ αλιαετός* (in C f. 477ʳ spatium, in quo imago pingatur, vacuum relictum est) — *κ΄ *πέρδιξ — κ΄ *πέρδιξ — κα΄ ἐρωδιός* (in C f. 480ʳ spatium vacuum) — *κβ΄ ἀηδών* (in C f. 475ᵛ spatium vacuum) — *κγ΄ γύγης* (in C f. 481ʳ spatium vacuum);
f. 217ᵛ *κδ΄ *κόσσυφοι* (figurae duae) — *κε΄ *ταώς — κς΄ ὄρτυξ — κζ΄ πορφυρίων — κθ΄ καταράκτης — κη΄ πελαργός*;
f. 218ʳ *λ΄ τροχίλος — λα΄ λάρος — λβ΄ αἴθυια — λγ΄ ἀλκυών — λδ΄ πελεκίνος*;
f. 218ᵛ *λε΄ γέρανος — λς΄ ἱμαντόπους — λζ΄ κέπφος — λζ΄ κέπφος — λη΄* *(sine titulo, an *ἐλαφίς*?) — *λθ΄ χήν — μ΄ κύκνος*.

Porro tabulae in C (f. 483ᵛ) libro III ornithiacon praemissae, qua aves 24 effinguntur, respondent figurae duodecim f. 219ʳ pictae et alterae duodecim, quae f. 219ᵛ exhibentur; quae omnes numeris atque titulis carent exceptis tribus, quae in f. 219ʳ collocatae *στρουθοκάμηλος, κορυδαλός, anas* inscriptae sunt.

Videmus igitur in codice Chigiano totam volucrum turbam, quae in ornithiacorum paraphrasi tractatur, picturis repraesentari; quae quidem maximam partem, sed non omnes ex C depromptae sunt. Nam imagines *ἁλιαιέτου, ἐρωδιοῦ, ἀηδόνος, γύγου*, quorum historiis in C servatis spatium vacuum praecedit, sine dubio aliunde sumpsit pictor; idemque cadere videtur in pavonem, qui graece *ταὼς* vocatur, cuius imaginem (f. 1ᵛ), cum in C aliquando libro primo ornithiacon praefixa iam tum fortasse extra sedem propriam vagaretur (cf. supra p. 157), pictor in ipso contextu iam non invenit, sed ad diversum exemplum supplevit. Nam *ταὼς* in Chigiano depictus a Pogatschero ita mihi describitur: *Die Abbildung des Pfaus auf f. 217ᵛ ist ganz verschieden von der des Wiener Dioskurides. Dargestellt ist der Pfau von links nach rechts*

Luculentissime autem codicis Chigiani cum nostro adfinitas eo comprobatur, quod ex picturis illis praeclaris in initio propositis quattuor in Chigiano redeunt accuratissime expressae et titulis latinis instructae, qui ipsis graecis in C adiectis fere respondent: videlicet f. 220^r consessus prior medicorum (C f. 2^v), f. 221^v mandragorae inventio (C f. 4^v), f. 222^r alter medicorum consessus (C f. 3^v), f. 223^v mandragoras ab artifice depictus (C f. 5^v) [1].

Pauca de tempore, quo codex Chigianus compositus sit, et de indole eius hoc loco adiciam. Atque Penzigio (l. c. p. 242 adn. 1) et picturae et inscriptiones manu priore additae saeculo XV multo antiquiores videntur; contra Venturius de saeculo XV cogitaverat. Cui sententiae et Ludovicus Pastor aliique viri peritissimi a Pastore et Pogatschero consulti adsentiuntur, qui Chigianum medio fere saeculo XV vel etiam exeunte confectum arbitrantur; id quod titulorum speciminibus a Penzigio propositis confirmatur. His, ut alia indicia minus certa omittam, accedit, quod titulus *ἡ σοφία* in C eius, qui anno fere 1406 hunc librum tractavit, manu picturis f. 4^v et 5^v adscriptus in Chigiani imaginibus inde depromptis (f. 221^v. 223^v) latinis litteris in margine repetitur *Sophia*, quodque series herbarum *κ* litterae in Chigiano eandem exhibet consecutionem, quae in C duobus fasciculis a. 1406 bibliopegi errore inter se permutatis orta est (cf. cap. X). His igitur documentis demonstratur Chigianum medio fere saeculo XV, certe post a. 1406 ex ipso C, qualis tum erat, expressum esse. Cui opinioni minime adversatur, quod et herbarum et volucrum series in Chigiano multo pleniores proponuntur, quam inde ab a. 1406 in ipso C eas fuisse ex indice herbarum

---

schreitend, ohne jene starke Rundung von Brust und Bauch, mit geschlossenen Flügeln und geschlossenen Schwanzfedern, Farbe blau, die Flügel lichtbraun, die Schwanzfedern rotbraun, mit blauen Augen. Die Abbildung ragt in keiner Weise über die anderen Vogelbilder hervor.

[1]) Ex his quattuor imaginibus duas effingendas curavit Venturi *Cronache* p. 210; universas optime expressas arte heliotypica proponit Penzig l. c. tab. I–IV. Desiderantur vero in Chigiano figurae pavonis (C f. 1^v; de qua v. adn. praec.) et Aniciae Iulianae (C f. 6^v) et titulus ornatus (C f. 7^r).

tum temporis conscripto et ex numeris a. 1406 in codicis fine membranis additis colligitur (v. cap. X. XI). Puto enim eum, qui Chigianum composuit, eis potissimum locis, quibus codicem C foliorum interitu mutilum invenit, alterum librum adhibuisse ex eodem C, sed etiam tum integriore depictum, quo adiutus multas picturas in C deperditas supplere potuit. Videtur autem codex Constantinopoli pictus, sed statim ab initio Occidenti destinatus fuisse, ut ex *Sophiae* illa designatione aliisque titulis latinis una cum graecis manu eadem saeculi XV exaratis concludere licet.

Ex Chigiano deprompta est magna pars imaginum codicis Vindobonensis 2277 (olim Eugeniani f. 16), qui cum libris Eugenii Sabaudiae principis in bibliothecam Caesaream pervenerat. Qui quamquam auctoris temporisve nota caret, ex pingendi tamen et scribendi ratione et ex nominum praesertim latinorum orthographia facile perspicitur ab hominibus Italis medio fere vel exeunte saeculo XVI eum confectum esse. Continet autem hic liber in foliis membraneis 186 formae maximae promiscuas herbarum picturas, titulis fere latinis et magna ex parte textu latino, quem manus tres diversae ex Dioscuride, Avicenna, aliis adscripsere, instructas eumque in modum dispositas, ut persaepe herbae eadem littera incipientes inter se consociatae sint. Quas figuras partim ex variis herbariis pictis antiquioribus sat fideliter, ut videtur, repetitas, partim ad vivas herbas summa profecto cum arte expressas esse statim apparet.

Atque in priore, quod diximus, genere primum obtinent locum picturae reliquis intermixtae numero fere 225, quae quidem eis, quas C exhibet, simillimae, sed ita comparatae sunt, ut ex lineis coloribusque nonnumquam leviter immutatis intellegatur non ex ipso C, verum ex codice inde depicto, id est ex prima serie herbarii Chigiani eas repetendas esse. Quarum plerisque nomina, quae C praebet, graeca, sed ad Chigiani exemplum latinis litteris transscripta pro titulis superposita sunt; neque tamen desunt, quae eiusmodi inscriptionibus careant (cf. imprimis f. 90^r—97^r). Quamquam ordo, quo herbae in libris C et Chigiano procedunt, in Vindobonensi

non servatur, multa tamen in eo vestigia huius ordinis supersunt, ut v. c. herbae in illis exemplaribus sibi vicinae etiam in Vindobonensi coniunctae inveniantur. Quod vero supra diximus in Chigiano lacunas codicis C ex vetustiore et pleniore exemplo ipsius C suppletas esse, id etiam in Vindobonensis figuris Dioscurideis observare licet. Adsunt igitur, ut in Chigiano, ita et in Vindobonensi vestigia eius ordinationis, quae in C circa a. 1406 facta est [1]), simul autem et figurae, quae a. 1406 in C iam deperditae erant, ex vetustiore illo exemplo derivatae. Quas quidem, cum Chigianus mihi praesto non sit, conlatis codicis Neapolitani (N) picturis satis certa ratione agnovisse mihi videor. Quarum nomina spretis transscriptionibus latinis, quae in Vindobonensi solae extant, graece hic adpono:

δελφίνιον ἕτερον	(f. 28^{v}; N f. 61^{r}),
νυμφαία ἄλλη	(f. 63^{v}; cf. N f. 104^{r}),
πολύγονον θῆλυ	(f. 159^{v}; N f. 121^{r}),
ποταμογείτων *ποταμογείτων ἕτερος*	} (f. 33^{r}; N f. 127^{r}),
πόλιον τὸ ὀρεινόν	(f. 117^{r}; N f. 126^{r}),
πήκτη	(f. 117^{r}; N f. 125^{r}), [2])
σέρις ἥμερος *σέρις ἀγρία*	} (f. 121^{r}; N f. 153^{r}),
σκόρδον	(f. 72^{r}; N f. 152^{r}).

Iam vero praeter numerosas has imagines, quas ex prima serie herbarii Chigiani repetendas esse diximus, in Vindobonensi sat multae exhibentur figurae minoris plerumque moduli, quarum vocabula ex graeca lingua derivata optime cum eis conveniunt, quae in secunda serie Chigiani (f. 172^{r}—198^{r}) inveniri indice a Penzigio (l. c. p. 272—277) subministrato edocemur. Extant autem continuae eius generis series

---

[1]) Figura *ἀσκληπιάδος*, cui in C f. 47^{v} falso *ἀνθυλλὶς* inscriptum est, eodem vocabulo *antalis* Vind. f. 18^{r} designatur; pariter figura *τιθυμάλλου χαρακίου*, in C f. 339^{v} perperam *τράγος ὁμοίως* inscripta Vind. f. 99^{v} sub titulo *tragos* proponitur.

[2]) De quinque his herbis *Π* litterae in Chigiano propositis v. supra p. 70.

f. 103v—106v, ubi habentur *androsaces*, *anachilis* (id est ἀνθυλλίς), *ethyopida*, *apia vel ischia*, *bacharis*, *botris*, alia, pariterque f. 146r—146v. Sed aliis quoque locis hinc illinc sparsae proponuntur picturae ad eandem Chigiani partem redeuntes; videntur autem universae 40 fere numero esse [1]. Contra ex tertia Chigiani serie (f. 199r—207v) pauca admodum, sed certa in Vind. recepta sunt, videlicet f. 24v *achatia* altera, cui in Chigiano f. 199r respondet ἀκακία, atque tria cinamomi genera *lignum cinamomum*, *falsum cinamomum*, *cinamomum*, quibus redduntur κινάμωμον, ξυλοκινάμωμον, ψευδοκινάμωμον teste Penzigio (p. 277 s.) in Chigiano f. 201v et 202r repraesentata.

III. Codici Chigiano subiungere placet Bononiensem graecum bibliothecae universitatis n. 3632, chartaceum, saeculo XVI confectum [2], qui pariter picturas codicis C omisso textu exhibet. Quo inde a f. 385r—416v et f. 417v herbarum figurae continentur coloratae ex C expressae, sed minore modulo delineatae [3]; porro f. 417r. 418r. 425v. 426v. 377r. 377v. 378r repetuntur picturae C f. 2v—5v extantes, adscriptis eisdem fere interpretamentis, quae in C circa annum 1406 addita sunt. Haec f. 380v. 381v. 382v. 383r. 384v excipiunt figurae animalium venenatorum et serpentium, quae C f. 398v ss. in Eutecnii paraphrasim theriacorum insertae sunt.

De codice Vindobonensi n. 12478, qui saeculo XVI exeunte Sambuco auctore ex ipso C depictus est, supra (cap. XXV p. 121) satis disputatum est.

IV. Omnia fere, quae codice nostro continentur, descripta sine imaginibus extant in Urbinate graeco bibliothecae

---

[1]) Nonnumquam eadem herba, cum et in prima et in secunda Chigiani serie effingatur, etiam in Vind. bis proponitur; veluti βρύον θαλάσσιον f. 150v et 105r; ἠρύγγιον f. 144v et 106r. — F. 40r extat figura titulo carens, qua σίκυος ex Chigiani f. 191v a Penzigio tab. VII repetitus exprimi videtur.

[2]) De hoc libro cf. A. Olivieri *Studi italiani di filologia classica* III (1895) p. 442 ss., imprimis p. 453 ss., qui quidem saeculo XV eum tribuit; H. Schoene *Apollonius von Kitium* p. XXXVII s.; M. Wellmann *Krateuas* p. 22 s. n. 2; idem Pauly et Wissowae encycl. V p. 1139.

[3]) Figuram λυχνίδος στεφανωματικῆς ex codice Bononiensi repetitam proponit M. Wellmann *Krateuas* tab. II.

Vaticanae n. 66 [1]). Est chartaceus foliorum 200, saeculo XV in usum Friderici ducis, qui a. 1444—1482 Urbinum moderabatur, exaratus. In folio non numerato, quod in initio positum est, exhibetur corona ad instar eius, quae C f. 7^{v} proponitur, splendide picta, intra quam haec verba litteris maiusculis scripta sunt: *Διοσκορίδης περὶ παντὸς εἴδους βωτανῶν* (sic) *καὶ ῥιζῶν καὶ τῶν θεραπειῶν αὐτῶν* addita versione latina. Inde a f. 1^{r}, in quo idem titulus repetitur, usque ad f. 82^{r} legitur herbarium Dioscurideum alphabetico ordine dispositum, cuius caput primum *περὶ ἀειζώου τοῦ μεγάλου* sic incipit: *ἀείζωον τὸ μέγα, οἱ δὲ ἐριθαλὲς, οἱ δὲ ἀμβρόσιον*, ultimum caput *περὶ ὠκίμου* his verbis desinit: *ἀσώστως διατίθενται.* His f. 83^{r}—165^{r} subiecti sunt materiae medicae Dioscuridis libri II—V, libri duo Pseudodioscuridei *περὶ τῆς φαρμάκων ἐνεργείας* et *περὶ ἰοβόλων.*

Iam sequitur f. 165^{v} post alia quaedam remedia paraphraseos Eutecnianae theriacorum ea pars, quae C f. 393^{r}—414^{v}. 429^{v}—437^{v} traditur, f. 183^{r}—193^{r} eiusdem auctoris paraphrasis alexipharmacorum, f. 193^{v}—195^{v} paraphraseos in halieuticorum libros III et IV particula ea, quae in C inde a f. 460^{v} usque ad f. 462^{v} v. 23 extat, f. 195^{v} usque ad codicis finem altera particula paraphraseos theriacorum, quae C f. 415^{r}—429^{r} continetur. Qua in re observandum est singularum paraphraseon titulos, qui in C in fine subscribuntur, in libro Urbinate itemque in Laurentiano infra n. V adlato errore cum eis, quae in C proxime sequuntur, coniunctos esse, ita ut verbi causa paraphrasi alexipharmacorum haec praemissa sint: *παράφρασις Εὐτεκνίου σοφιστοῦ ἐκ τῶν Νικάνδρου θηριακῶν· τῶν δὲ ἀντιφαρμάκων τάδε ἔνεστιν* [2]).

V. Gemellus quodammodo codicis Urbinatis est L a u r e n t i a n u s plutei LXXXVI n. 9 [3]), membranaceus foliorum 286,

---

[1]) Copiosius de hoc libro egit C. Stornaiolo in catalogo, cui inscribitur Codices Urbinates graeci bibliothecae Vaticanae (1895), p. 77—80.

[2]) Cf. Urb. f. 183^{r} Laur. f. 207^{r} cum C f. 437^{v}. 438^{v}.

[3]) De quo cf. A. M. Bandini Catalog. codicum gr. bibl. Laurentianae III (1770) p. 327 ss. A Bandinio pendet I. G. Schneider in Nicandri alexipharmacis (1792) p. XI s.; in Nicandri theriacis (1816) p. 311 ss.

formae quae vocatur in folio, saeculo XV Mediceorum in usum nitidissime exaratus. Quo libro continentur inde a f. 180^r paraphraseos in Oppiani halieuticorum libros III et IV particula ea, quae in C f. 460^r—462^v v. 23 legitur, inde a f. 182^r paraphraseos Nicandri theriacorum ea pars, quae in C f. 415^r—429^r obtinet, f. 188^r liber Dioscuridi falso adtributus *περὶ ἀντιφαρμάκων*, cui adglutinatum videtur carmen de herbarum viribus [1]). Haec excipiunt f. 192^r paraphraseos theriacorum ea pars, qua C f. 393^r—414^v. 429^v—437^v exhibetur, f. 207^r paraphrasis alexipharmacorum.

Collatis eis, quae ex Bandinii et Stornaioli descriptionibus de codice hoc Laurentiano et de Urbinate supra (n. IV) memorato comperimus, apparet hos duos libros adfinitate quadam arctiore inter se coniunctos esse, ambos vero ex C repetendos esse, id quod utriusque argumentis et inscriptionibus, quae mirum in modum inter se et cum C conveniunt [2]), luculentissime demonstratur. In Laurentiano vero, quem ex Bandinii editione ab eodem suppleta et a Schneidero repetita accuratius novimus, sententia illa alio quoque argumento gravissimo confirmatur. Etenim in C duo membranarum fasciculi numeris *NE* et *NS* signati errore eius, ut videtur, qui codicem a. 1406 denuo compegit, inter se permutati sunt; nam fasciculus *NS*, qui foliis 424—431 constat, posteriore loco positus praecedere debebat, quippe qui paraphrasim ad Nicandri theriacorum versus 557—725 contineat, eumque excipere fasciculus *NE* (f. 416—423) cum versione versuum 725—827 [3]). Idem vero ordo perversus in Laurentiano invenitur, si quidem Bandinii testimonio fides habenda est [4]). Demonstratur porro Laurentiani ex C origo lectionibus, quas uterque liber in

---

[1]) V. Bandinius l. c. p. 328 n. V: „Ultimum (caput) *περὶ ἐρυσίμου* desinit *ἐὰν δὲ κόκκους ζ′ εἰς οἰκίαν βάλῃς, ἀψιμαχία ἔσσαι.*" Quibuscum conferas velim ea verba, quae ultima leguntur C f. 392^r.

[2]) Subscriptiones codicis C in his apographis saepius falso ad ea, quae subsequuntur, opuscula trahi iam supra (n. IV) adnotavimus.

[3]) Cf. cap. X. XXVII; conspectum codicis infra parte V propositum.

[4]) V. editiones Bandinii p. 315 adn. 5.6; Schneideri p. 347 adn. 2.

paraphrasibus duabus Nicandreis praebet, quae in levioribus tantum interdum discrepant, in gravioribus vero omnino consentiunt.

Ad textum paraphrasium Nicandrearum constituendum Laurentianus, sive ipse hac in parte ex C descriptus est sive ex apographo codicis C expressus, nonnihil valere videtur. Folia enim aliquot codicis C aut prorsus deperdita, veluti duo illa, quae inter f. 401 et 402 exciderunt, aut maximam partem nunc abscissa, ut paucae tantummodo litterae supersint, veluti f. 404. 407, aliosque locos iam mutilatos is, qui exemplum hoc confecit, integros adhuc vidit et descripsit, ita ut codicis C vetustissimi testis lacunae Laurentiani ope suppleri possint [1]). Eadem sine dubio utilitas erit Urbinatis nondum satis cogniti, quem cum Laurentiano arctiore quadam necessitate modo diximus coniunctum esse.

VI. Codicibus, qui quodammodo ex C fluxerunt, fortasse adnumerandus est ille iam deperditus, cuius meminit Conradus Gesnerus [2]) his verbis:

Eutecnii sophistae paraphrasim Graecam in Alexipharmaca et Theriaca Nicandri, et in quaedam Oppiani, videlicet de piscatione et venatione libros, vidi Venetiis (apud Arnoldum Paraxylum Arlenium, in aedibus illustris viri Diegi Hurtadi Caesarei legati) in uno volumine, adscripto ubique, si bene memini, Eutecnii nomine: praeterquam in paraphrasi eiusdem Oppiani poematis De aucupio, quam propediem (Deo volente) inde nactus descriptam in lucem dabo, dubius interim an Eutecnio authori attribuenda sit.

Videtur autem codex, quem Gesnerus inspexerat, siquidem ipsius Diegi Hurtadi de Mendoza fuit, cum reliquis eiusdem

---

[1]) Horum locorum, quos in editione a. 1764 mancos reliquerat, supplementa ex Laurentiano petita dedit Bandinius Catalog. cit. III p. 328—331; quae postea Schneiderus in textum suum inseruit. Cf. praeterea cap. XII n. 6; cap. XXVII.

[2]) Bibliothecae universalis (Tiguri 1545. 6°) I f. 238r sub voce Eutecnius; similia I f. 527v sub voce Oppianus; idem in indice auctorum Historiae avium praemisso sub littera O et E; unde citatur a Lambecio Comment. ed. Kollar. II p. 264 s. Cf. I. G. Schneider in ed. Oppiani (1776) p. XVII s.

libris graecis in bibliothecam Escurialensem pervenisse neque diversus esse ab codice aliquando signo II. C. 24 instructo, qui iam non extat, sed a. 1671 incendio absumptus est. De quo ex catalogo bibliothecae Escurialensis, qui Mediolani etiam nunc servatur [1]), haec exscripsit T. Rostgaardius in litteris ad Erasmum Windingium missis [2]):

En articulum ipsum ut in Catalogo iacet:

Eutecnii Sophistae Paraphrasis Theriacorum Nicandri II. C. 24. pag. 212. et pag. 233. Paraphrasis Alexipharmacorum Nicandri et pag. 246. eidem tribuenda Paraphrasis (non enim expressum est illius nomen) in 3. et 5 tum Halieuticων Oppiani, et pag. 259. in eundem Oppianum de aucupio.

Qua in descriptione sane desideratur mentio paraphraseos in Oppiani de venatione libros, quam Gesnerus memoria fortasse lapsus falso adiecerat. Reliqua autem ita comparata sunt, ut ex libri C appendice ea petita esse probabilis videatur opinio. Nisi quod veri simile est paraphrasim in carmen de aucupio sive ornithiaca, quam librarius in C valde iam mutilam multisque locis lectu difficilem invenerit, in apographo ex alio codice suppletam fuisse, qui ad alteram recensionem a C diversam, a Windingio postea editam (de qua v. supra p. 161) pertinebat, ita tamen, ut ex integris codicis C partibus multae lectiones margini adscriptae vel ipsi textui insertae sint. Unde fit, ut illius paraphraseos versio latina a Gesnero ad hoc exemplar confecta [3]) in universum quidem alteram fere recensionem Windingii exprimat, multis autem locis, id quod iam Duebnerus observavit, cum textu Parisini

---

[1]) Videlicet in bibliotheca Braidensi sub signo *AE.* XIII. 38. Disputaverunt de hoc catalogi Escurialensis exemplari Guil. de Hartel Bibliothecae patrum latinorum Hispaniensis I p. 6; R. Beer *Handschriftenschätze Spaniens* p. 159; idem *Jahrbuch der kunsthistor. Sammlungen des Kaiserhauses* XXIII (1903) p. XXXIX.

[2]) V. Eutecnii sophistae paraphrasis prosaica in Oppiani ixeutica ed. ab Erasmo Windingio (Havniae 1702; denuo 1715. 8°), praef. fol. 13ʳ s.

[3]) Repetita est in Schneideri ed. p. 321–344. De qua cf. Schneider praef. p. XVIII; F. Duebner praef. p. III; supra cap. XXX p. 161.

gr. 1843, qui idem est atque codicis nostri, consentiat [1]).

VII. Codex Vindobonensis medicus graecus 5 Nesselii (n. 6 Lambecii) [2]), chartaceus formae, quae dicitur, quartae, foliorum 10, saeculo XVI exaratus continet f. 1^{r} et 1^{v} fragmenta novem Crateuae ῥιζοτομικοῦ, f. 1^{v}—8^{v} capita aliquot textus Dioscuridei, f. 2^{r} Galeni caput de amaraco, f. 9^{r} hypothesim, quae C f. 393^{r} pharaphrasi theriacorum praemissa est. Quae omnia ex C descripta esse dudum viri docti intellexere. Deinde f. 9^{r} sub inscriptione ἐκ τοῦ κυροῦ Ἀντωνίου τοῦ Καντακουζηνοῦ proponuntur excerpta quaedam ex Dioscuridis materiae medicae libri V cap. 62. 63. 89. 160, quae ex eodem codice manasse videntur, quem Augerius de Busbecke ab Antonio Cantacuzeno commodatum anno fere 1562 Petro Matthiolo utendum praebuerat (cf. supra cap. III). Folio denique 10^{v} extant herbarum vocabula 30, quae in C herbis titulorum loco superscripta sunt; quibus explicandi causa plerumque adduntur nomina ab ipso Dioscuride in materia medica usurpata vel vocabula ex lingua graeca volgari deprompta.

VIII. Iam in medium proferendi sunt libri aliquot adfinitatis vinculo inter se coniuncti, quibus carmen quod dicitur de viribus herbarum ex C nostro descriptum traditur [3]).

1. Codici saeculi XV, qui adservatur Mediolani in archio capituli metropolitani sub n. 3 [4]), post Dioscuridis περὶ ὕλης ἰατρικῆς libros quinque eiusque notha, quae vocantur, f. 127^{r}—128^{v}

---

[1]) Codex Escurialensis Σ. I. 17, quem post Dioscuridis materiam medicam solas Eutecnii paraphrases in theriaca et alexipharmaca continere E. Miller auctor est (v. infra n. XI), a libro Gesneri diversus esse videtur. Cf. praeterea C. Graux *Essai sur les origines du fonds grec de l'Escurial* (*Bibliothèque de l'école des hautes études* XLVI 1880) p. 99 adn. 2; 241. 246. 266 (n. 205). 390. 498.

[2]) De quo v. Lambecius Comment. ed. Kollar. VI p. 209 s.; Nesselius Catalog. III p. 20; A. G. Costomiris *Revue des études grecques* II p. 361; M. Wellmann *Krateuas* p. 10 adn. 13; p. 18 s. adn. 26.

[3]) De codice Laurentiano plutei LXXXVI n. 9 saeculi XV, in quo hoc carmen integrum una cum scholiis extare videtur, vide supra n. V. Codicem Matritensem, cui idem inesse opinor, infra n. XIV indicabimus.

[4]) Cf. Aem. Martini *Catalogo di manoscritti greci esistenti nelle biblioteche italiane* I p. 42 ss. n. 2.

insunt carminis de viribus herbarum versus 1—190. Praemisso capitum indice ita incipit carmen: ·α· Τοὺς πυρέσσοντας τὸ χαμαίμηλον θεραπεύει (v. 1 ed. Haupt.), desinit his verbis: τὴν βοτάνην περὶ σῶμα φορῶν ἐχθροὺς ὑπαλύξεις (v. 199). In textu autem eaedem agnoscuntur lacunae, quae in editione Asulani extant. Margini adscripta est ἑρμηνία, id est scholia.

2. Codex Berolinensis Phillippicus n. 1570 [1]) saeculo XVI exaratus f. 48^r—55^v eosdem carminis versus 1—190 praebet, qui in Mediolanensi habentur.

Haec in utroque codice Mediolanensi et Berolinensi excipiunt Neophyti monachi Prodromeni promptuarium alphabeticum herbarum, quod inscribitur συλλογὴ κατὰ στοιχεῖον περὶ βοτανῶν, lexicon botanicum (λεξικὸν τῆς τῶν βοτανῶν ἑρμηνείας τοῦ σοφωτάτου Γαληνοῦ), cui adiecta est versio graeca auctoris ignoti vocum aliquot Persicarum; finem faciunt ἀντιβαλλόμενα ex Galeno excerpta, quae ab eodem Neophyto Prodromeno congesta esse Parisini gr. 2268 testimonio supra (n. I) adlato docuimus. Unde facile colligitur hos duos libros proxima cognatione inter se devinctos esse.

3. Codex Vaticanus Palatinus n. 77 [2]) saeculi XIV exeuntis, qui olim fuerat Meletii, post Neophyti monachi Prodromeni promptuarium, lexicon botanicum, glossas persico-graecas, quas modo memoravimus, f. 15^r—114^r praebet Dioscuridis materiae medicae recensionem interpolatam (de qua v. infra n. XII) in libros IX divisam, cui subiecti sunt carminis de viribus herbarum versus 1—190, quorum ultimus est τὴν βοτάνην περὶ σῶμα φορῶν ἐχθροὺς ὑπαλύξεις.

4. Liber denique manu scriptus, ex quo a. 1518 carmen de viribus herbarum primus volgavit Franciscus Asulanus adiunctum exemplaribus Aldinis Dioscuridis [3]), versus tantum 1—190 exhibuit praemisso indice et adiectis scholiis, quae

[1]) Cf. Guil. Studemund et L. Cohn *Verzeichniss der griech. Handschriften der königl. Bibliothek zu Berlin* I p. 71 s. n. 166.

[2]) H. Stevenson Codic. manu script. Palatin. gr. bibliothecae Vaticanae p. 40 s.

[3]) C. 231—235. Repetivit inde I. A. Fabricius Bibliothecae graecae ed. prior. libro III capite 26 (II p. 630—660) additis Ioannis Rentorfi interpretatione latina et commentario. De Asulani codice v. Hauptius l. c. p. 476.

Asulanus ad calcem imprimenda curavit. Quo quae tradita erant, quamquam sine dubio plurimis locis ipse Asulanus correxit, sat multae tamen restant lectiones correctoris manum non expertae [1]), quibus demonstratur ipsum codicis textum simillimum fuisse ei, qui in C ad nos pervenit, atque eisdem mendis et lacunis laborasse.

Quamquam librorum manu scriptorum, quos modo composuimus, varia lectio nobis praesto non est uno excepto codice Asulani, tamen omnibus rite perpensis mihi quidem constare videtur omnes redire ad unum apographon saeculo fere XIV exeunte ex C depromptum, in quo carminis illius versus 1—190 coniuncti erant cum textu Dioscuridis interpolato et Neophyti Prodromeni opusculis. Iam vero id, quod primo obtutu satis mirum videtur, apographon hoc ultra versum 190 non progredi omissis versibus 191—215, qui in C servati sunt, statim explicabitur, si ipsum exemplar vetustum inspexerimus. Nam C f. 391r post v. 190 τὴν βοτάνην — ὑπαλύξεις dimidia pagina vacua est [2]); sequitur f. 391v imago ἐναλίας δρυός, deinde f. 392r continuatur carmen et absolvitur. Librarius igitur minus peritus, qui usque ad f. 391r pervenerat, magno illo intervallo, quod post v. 190 interiectum est, ad opinionem induci poterat hoc loco iam desinere poematis textum. Neque mero casui tribuendum est, quod in apographo, quod diximus, carmen de viribus herbarum ex C descriptum non solum cum recensione Dioscuridis interpolata, in qua constituenda item C adhibitum esse infra (n. XII) docebitur, sed etiam cum Neophyti Prodromeni opusculis lexicoque botanico anonymo consociatum est; archetypum enim horum tractatuum saeculo XIV in finem vergente una cum C in monasterio S. Ioannis Prodromi servatum esse probabile est [3]).

---

[1]) V. adnotationem criticam editionis a M. Hauptio curatae Opuscul. II p. 476 ss.

[2]) Non recte se habent, quae Hauptius p. 485 ad hunc versum adnotavit.

[3]) Parisinus quoque gr. 2286 sive ab ipso Neophyto, sive ad eius exemplar conscriptus, qui olim fuerat monasterii Prodromeni, praeter herbarium Dioscurideum ex C expressum eadem opuscula continet, quae in recensendis Mediolanensi, Berolinensi, Palatino indicavimus. Cf. supra n. I.

In apographo illo ipsis versibus praemissus est capitum index (cf. n. 1. 4), qui impressus extat apud Asulanum et capita etiam inde a versu 191 ss. in ipso textu omissa recenset. Eiusmodi index, quamquam in archetypo C iam desideratur, tamen minime dubium est, quin ad instar indicis alexipharmacorum paraphrasi praefixi (f. 438ᵛ) aliquando inscriptus fuerit folio nunc exciso, cuius margo angusta inter f. 387 et 388 relicta est.

IX. Pariter ex nostro codice aliquo modo derivata sunt, quae leguntur in libro quodam bibliothecae μονῆς Ἰβήρων in Atho monte sitae, quem saeculo XV in charta exaratum Lampros vidit [1]). In quo Dioscuridis libros περὶ ὕλης ἰατρικῆς haec subsequuntur: *Παράφρασις εἰς τὰ Νικάνδρου ἀλεξιφάρμακα Εὐτεκνίου σοφιστοῦ*; inc.: *Αἱ ῥαφίδες τῷ λίνῳ πρὸς τὸν αἰγιαλὸν ἐξέλκονται ἀγρευθεῖσαι.* Unde apparet in hoc Athoo haud aliter atque in Urbinate gr. 66 et in Laurentiano LXXXVI, 9 subscriptionem paraphraseos in alexipharmaca falso coniungi cum exordio paraphraseos halieuticorum, quam in hoc quoque codice omissa priore libri III parte in exitu libri III (v. 604 ss.) incipere notabile est. Quae omnia si cum C foliis 459ᵛ et 460ʳ comparamus, vix dubium est, quin haec libri Athoi pars nescio qua ratione ex codice C fluxerit.

Utrum codices Athous μονῆς Ἰβήρων a. 1560 scriptus [2]), quo continetur παράφρασις εἰς τὰ Νικάνδρου ἀλεξιφάρμακα Εὐτεκνίου σοφιστοῦ, et Parisinus suppl. gr. n. 688 saeculi XVI [3]), cui inesse dicuntur Eutecnii sophistae paraphrasis in Oppiani halieuticorum libros III—V et „eiusdem paraphrasis in Oppiani ixeuticorum libros I. II" cum nostro aliqua necessitudine coniuncti sint necne, equidem diiudicare non audeo.

X. In codice Parisino gr. 1843 [4]) bombycino saeculi XIII, qui continet scholia plurima in Aristotelem et Porphyrium,

---

[1]) Cf. S. P. Lampros *Κατάλογος τῶν ἐν ταῖς βιβλιοθήκαις τοῦ ἁγίου ὄρους Ἑλληνικῶν κωδίκων* II (1900) p. 62 n. 4336.

[2]) V. Lampros l. c. II p. 49 n. 4302, 12.

[3]) Cf. H. Omont *Inventaire sommaire* III p. 299 s.

[4]) Cf. H. Omont l. c. II p. 151.

f. 54 ss. traditur opusculum anonymum περὶ ὀρνίθων diversa manu exaratum; quod ab I. A. Cramero et a F. Duebnero volgatum [1]) supra (cap. XXX) diximus partem esse paraphraseos ornithiacorum Dionysii poetae, quae eadem recensione C f. 474^{r} ss. exhibetur. Atque insunt Parisino eius paraphraseos libri I et II usque ad medium caput ultimum, nullis fere lacunis interrupti, ita ut codicis C defectus optime inde suppleri possint. Iam si ea, quae in C supersunt, diligenter cum Parisino a Cramero descripto conferimus, hos libros egregie inter se congruere apparet et capitum divisione et titulis, qui singulis capitibus praescripti sunt, et universa textus conformatione, nisi quod in rebus orthographicis Parisini librarius saepius etiam erravit quam is, qui C exaravit. Textus quoque corruptelae prorsus eaedem sunt; ex quarum numero v. c. enotavi θήραν C f. 480^{r} et p. 38, 18 Crameri (leg. θέρος); ἀποτίνασαι C f. 481^{r}, ἀποτείνασαι p. 41, 19; ἐπὶ τούτω C f. 481^{v} et p. 42, 12 (leg. ἐπὶ τοῦτο). His omnibus recte perpensis mihi quidem veri simillimum videtur Parisini textum sive ex ipso C sive ex eius apographo expressum esse.

XI. Iam exoritur quaestio, quaenam ratio inter C et libros nonnullos, quos Wellmannus alteri recensionis alphabeticae classi adnumerat, intercedere videatur. Quae quidem classis ex codicibus aevi recentioris constat, in quibus non solum herbae Dioscurideae ad instar codicum C et N in alphabeticum ordinem redactae proponuntur, verum etiam reliquae partes materiae medicae secundum litteras digestae extant, ita ut totum opus in has sectiones divisum sit: περὶ βοτανῶν, περὶ ζώων παντοίων, περὶ παντοίων ἐλαίων, περὶ ὕλης δένδρων, περὶ οἴνων καὶ λίθων. Continentur autem hac classe secundum Wellmannum [2]) hi libri: Athous monasterii Laurae [3]) (membranaceus saeculi XII);

---

[1]) V. praeterea de hoc codice E. Miller *Journal des savants* a. 1850 p. 484 s.; F. Duebner in Poetarum bucolicorum et didacticorum editione Didotiana (a. 1851) praef. post p. 163 insertae p. I s.

[2]) V. Pauly et Wissowae encycl. V p. 1141; supra p. 95 cum adn. 1.

[3]) M. Wellmann *Krateuas* p. 23 n. 4.

Marcianus XCII [1]) (bombycinus saeculi XIII, a Wellmanno *v* littera signatus); Escurialensis Σ. I. 17 [2]) (chartaceus saeculi XV); Cheltenhamensis Phillipps. n. 21975 [3]) (membranaceus saeculi XI). Quos libros praeter unum Escurialensem, de quo nihil eiusmodi refertur, figuris illustratos esse constat. Neque facere possum, quin et Chigiani supra (p. 169 n. II) descripti imagines praeter eas, quas ex ipso C depictas esse constat, ex alterius classis nescio quo codice expressas esse mihi persuadeam; quae opinio vel maxime ea, quae in Chigiano observatur, materiarum divisione et ordinatione commendari videtur.

Iam vero in hac quoque recensione constituenda vel ipsum C vel apographon eius aliqua ex parte adhibitum esse satis probabile videtur, quamquam perpauca de contextu variisque lectionibus illorum codicum ex Wellmanni apparatu adhuc innotuerunt. Nam primum quidem fragmenta illa Crateuae, quibus in C herbae aliquot *A* litterae illustrantur (cf. supra p. 88 ss.), Wellmanno teste redeunt v. c. in Marciano XCII (a Wellmanno *v* littera notato) [4]) cum iisdem fere lectionibus, quas C exhibet [5]). Deinde imagines herbarum, quae in libris Athoo, Marciano, Phillippsiano [6]), Chigiano [7]) insunt, magna

---

[1]) Cf. Mingarelli in catalogo, qui inscribitur Graeci codices manu scripti apud Nanios patricios Venetos asservati (Bononiae 1784) p. 447 n. 252; Wellmann *Krateuas* p. 5 s. adn. 10; p. 23 n. 3; p. 26 adn. 32.

[2]) Cf. E. Miller *Catalogue des manuscrits grecs de la bibl. de l'Escurial* p. 70 n. 73.

[3]) Cf. H. Schenkl Bibliothecae patrum lat. Britannicae I 2 (1892) p. 147 n. 2076 (*Sitzungsberichte der Akademie zu Wien, phil.-hist. Cl.* CXXVII 1892, *Abh.* 9 p. 67), qui hunc librum saeculo IX attribuit; Wellmann *Krateuas* p. 23 adn. 30; idem Pauly et Wissowae encycl. V p. 1137; H. Omont apud E. Bonnet *Ianus* VIII (1903) p. 170 adn. 2, qui codicem saeculo IX vel X confectum esse existimat.

[4]) Cf. Wellmann *Krateuas* p. 5 cum adn. 10; p. 10 adn. 15.

[5]) V. specimina apud Wellmannum l. c. p. 6. 11. 17 proposita.

[6]) Cf. Wellmann l. c. p. 23 n. 3. 4 et adn. 30. Herbae, cui nomen μῶλυ, figuram ex codice Athoo idem l. e. tab. I exprimendam curavit.

[7]) V. supra n. II.

ex parte ex Dioscuridis herbario alphabetico, quale codicibus C et N traditur, derivatas esse post egregias Wellmanni curas [1]) iam constare videtur; neque neglegendum est, quod Valentino Rosio, viro harum rerum praeter ceteros peritissimo, picturae non solum herbarum, sed etiam animalium codice Phillippsiano exhibitae ex ipso C expressae videntur [2]), quodque Chigianus Penzigio auctore [3]) in ea quoque herbarum serie, quae non ex ipso C depicta est, nonnullas imagines praebet, quas figuris codicis C simillimas esse primo quasi obtutu cognoscitur. Accedit, quod in compluribus eius generis libris cum Dioscuridis textu eadem opuscula medica coniunguntur, quae codicis C appendix continet. In libris enim Athoo et Phillippsiano praeter tractatus duos Dioscuridi falso attributos adiecta sunt poema de herbis et Eutecnii paraphrases carminum Nicandreorum [4]), atque eaedem paraphrases in Escurialensi materiem medicam excipiunt.

XII. Breviter iam attingamus illos codices, qui materiam medicam Dioscuridis primitivo quidem ordine digestam, sed ex recensione quae dicitur alphabetica auctam atque interpolatam praebent [5]). Quam textus formam non paulatim ex compluribus fontibus ortam, sed unius hominis opera et consilio satis sera aetate constitutam esse a Wellmanno sine dubio recte perspectum est. Accuratius autem ex hoc librorum Dioscurideorum genere Wellmanni praecipue curis innotuerunt hi fere codices: Vaticanus Palatinus 77 [6]) saeculi XIV, a Wellmanno H littera signatus,· antiquissimus huius classis

---

[1]) *Krateuas* p. 24 ss.

[2]) *Krateuas* p. 23 adn. 30.

[3]) L. c. p. 248. 272 s.

[4]) Cf. Wellmann Pauly et Wissowae encycl. V p. 1141; supra p. 51.

[5]) Cf. de his in universum M. Wellmann Hermae XXXIII p. 363; idem Pauly et Wissowae encycl. V p. 1141 s.: *während die lange Reihe der übrigen Hss. mit Hülfe des alphabetischen Dioskurides, der Paraphrase des Carmen de herbis, der Geoponici und der Krateuasfragmente interpoliert sind.*

[6]) Cf. Wellmann Hermae l. c. p. 363. 364; encycl. V p. 1142 n. 3; *Krateuas* p. 12 adn. 17.

testis, qui in vetustissimis quaternionibus additamenta illa margini adscripta, nondum in textum recepta exhibet; Venetus Marcianus CCLXXI saeculi XV (Wellmanno v_1) [1]; Parisinus graecus n. 2183 saeculi XV (Wellmanno *p*) [2]; ex quibus Venetus et Parisinus arctiore adfinitate coniuncti esse dicuntur. Accedit liber, ex quo Aldus Dioscuridem a. 1499 excudendum curavit.

Nondum volgato Wellmanni apparatu critico quamquam absolutum de ea re iudicium enuntiari nequit, tamen mihi quidem multa indicare videntur eum, qui textum interpolatum concinnavit, usum esse aut ipsis duobus antiquissimis libris recensionis alphabeticae, videlicet Constantinopolitano nostro ea aetate celeberrimo et Neapolitano, quos ambos Constantinopoli tum adservatos esse veri simile est, aut eorum apographis, quae iam tum temporis haud exiguo fortasse numero extitisse codex Parisinus gr. 2286 [3]) demonstrat. Etenim primum quidem codices *p* et v_1 in ipso textu Dioscuridis haud raro eiusmodi lectiones praebent, quae a libris genuinae materiae medicae procul recedant, mirum autem in modum cum scriptura recensionis alphabeticae, praesertim codicis C, conveniant [4]). Porro synonyma herbarum ex recensione alphabetica in hanc textus formam translata scripturam et ordinem modo codicis N, modo C exprimere Wellmannus acute probavit [5]); neque necesse videtur, ut cum Wellmanno statuamus hanc rationem neque ad C neque ad N, sed ad tertium quoddam exemplar recensionis quae vocatur alphabeticae redire. Deinde nonnulla ex numero illorum fragmentorum Crateuae ῥιζοτομικοῦ, quae solus C praebuisse videtur, in Parisino et Veneto partim integra, partim in epitomen redacta reperiuntur cum eisdem fere lectionibus,

[1]) Encycl. p. 1141; *Krateuas* p. 5 adn. 10; p. 12 adn. 17.
[2]) Encycl. p. 1141; *Krateuas* p. 24 n. 6.
[3]) De quo cf. supra n. I.
[4]) V. specimina adlata a Wellmanno *Krateuas* p. 11. 12. 14. 16. 18.
[5]) Hermae XXXIII p. 377 s.; cf. *Krateuas* p. 12 adn. 18.

